



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus XLIX. De immunitate Ecclesiastica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

TITULUS XLIX.

De immunitate Ecclesiastica.

CAPUT I.

De immunitate Ecclesiastica in genere & in specie de immunitate locali quò ad actiones in locis sacris prohibitas exerceri.

Quest. 1002. Immunitas Ecclesiastica quid sit & quotuplex?

R Esp. Ad primum immunitas Ecclesiastica, accepto hoc nomine pro ut liberationem à munere (quod hic onus significat juxta *l. munus ff. de V. S.*) aliquantò latius, pro ut tres suas species comprehendit, dum aliàs AA. plures distinctionem faciunt inter immunitatem Ecclesiarum, quæ competit locis sacris, & immunitatem Ecclesiasticam quæ personas ecclesiasticas resque earum respicit, de quo vide *Reiffenst. h. t. n. 3.* describitur passim, quòd sit jus, quo loca, res, personæ Ecclesiasticæ ab onere communi & obligatione liberæ seu exemptæ sunt. *Suar. de immunit. Eccles. l. 4. c. 1. Azor. Inst. mor. Tom. 2. l. 9. c. 8. Delb. de immunit. Eccles. c. 1. dub. 1. n. 3. Paulò fusiùs eandem describit. Reiffenst. h. t. n. 4.* quòd sit jus, quo Ecclesia aliaque loca sacra, nec non personæ Ecclesiasticæ resque earum liberæ & exemptæ sunt à muneribus seu oneribus sæcularibus, atque ab actibus earum sanctitati & reverentiæ debitæ repugnantibus, quæ postremæ particulæ adjiciuntur, ne à definitione excludatur immunitas localis, etiam ratione asyli, dum extractio è loco asyli est actus repugnans ejus reverentiæ & sanctitati.

2. Resp. Ad secundum: immunitas ecclesiastica, pro ut constat ex jam data ejus definitione est triplex, nimirum localis, quæ est jus competens Ecclesiis aliisque locis sacris ac religiosis, vi cujus actus profani seu sæculares in iis exerceri non possunt, & malefactores illuc confugientes in vita & membris proteguntur, ita ut inde extrahi nequeant, pro ut sumitur ex *c. Ecclesia h. t. in 6. can. non oportet. dist. 42.* Reals, quæ est jus inhærens rebus & bonis ecclesiasticis personarumque ecclesiarum quò minus iis onera pendendaque tributa & similia imponi possint. Personalis, quæ est jus inhærens ipsis personis ecclesiasticis, vi cujus gravari non possunt exactionibus, tributis, aliisque præstationibus. De quorum singulis *c. seq.*

Quest. 1003. Quo jure immunitas ecclesiastica introducitur?

R Esp. primò: cum immunitas hæc se extendat ad diversa nimirum loca, res, personas, in quibus quò ad præsens quæsitum non videtur esse par ratio de immunitate, ut sic pariformiter quid statui nequit. Sed loquendum diversimode; ac primò quidem immunitatem à cognitione & judicio sæculari respectu causarum spiritualium, nimirum respicientium fidem, Sacramenta, cultum divinum, esse juris divini positivi seu originarii immediatè à Deo; cum dicta cognitio & judicium soli petro &

jusque successoribus concessa à Christo his verbis: *Tu es Petrus & supra hanc petram &c.* idque ita etiam, ut non solum ecclesiastici sed & laici omnes quò ad has causas subducti sint jurisdictioni, ac consequenter cognitioni & judicio sæcularis potestatis. ac ita docent *Covar. 99. pract. c. 31. num. 2. Molin. Tom. 1. i. d. 1. concl. 2. Suar. de fide l. 4. de immunit. Eccl. c. 2. & per tot. Farnac. l. 1. pract. lit. & q. 8. n. 2.* & alii, quos citat & sequitur *Delb. c. 1. du. 2. f. 1. n. 5.* Secundo. Item de immunitate ecclesiasticorum quò ad causas temporales, puta solutionem tributorum, punitionem criminum, obligationem legum civilium esse de jure divino positivo, saltem dictante, astruit (nomine tamen non tam suo, quàm aliorum, ut videtur) *Delb. l. c. à n. 6.* multumque probat, tum ex veteri testamento *Genes. 47.* factò Joseph. dum totam terram Ægypti Pharaoni tributariam fecit, terram verò sacerdotum exemptam à tributis. *Esdra c. 71.* factò Artaxerxis, quo voluit sacerdotes & levitas templi esse liberos à tributis. Unde infert hanc immunitatem esse à Deo saltem instinctivè, dum, si lumen naturale dictabat hanc immunitatem convenire sacerdotibus veteris legis, multo magis dicitur eam convenire sacerdotibus legis novæ: utpote quorum dignitas & functio est longe nobilior, & Principibus reipublicæ utilior. Probat item ex variis textibus juris & Conciliorum, ut dum *c. quanguam. de censib. in 6.* dicitur: *Ecclesia Ecclesiasticæque persone ipsarum non solum jure humano quin & divino à secularium personarum exactionibus sunt immunes &c.* *Trid. sess. 25. c. 20. de reform. ait. Ecclesia & personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione & canonicis sanctionibus constituta est.* Item ex *Rotæ decis. in una Albanens. Gabelle de die 28. Jun. 1630.* apud *Delb. l. c. n. 20.* ubi Rota definit. immunitatem Ecclesiasticam non solum quò ad personas, sed & quò ad eorum bona esse de jure divino. Ac denique pro sententia, quod hæc immunitas sit de jure divino saltem positivo, etsi non ab eo immediate, saltem ab eo dictante seu instinctivè citat *n. 25.* immensam celeberrimorum AA. turmam. Verum rectius hanc immunitatem quò ad causas civiles resque & personas ecclesiasticas non esse juris divini, neque positivæ, neque naturalis, sic probatur à posteriore, quod Ecclesia olim, ut constat ex testimonio *S. Ambros. c. 26. si tributum n. 1. q. 1. & ex can. 22. caus. 23. q. 8.* ex agris suis solvebat tributa etiam Imperatoribus Christianis, quod non fecisset aut fieri passus esset, si putasset se jure divino exemptam esse, & specialiter, quod non sit immediatè ex jure divino naturali, ex eo constare videtur, quòd character clericalis ex se seu ratione sui non eximat clericum à jurisdictione & potestate sæculari, cum ex se solum habeat deputare hominem divino cultui quæ

deputatio stare potest cum subiectione temporali debita principi in iis, quæ cultum divinum non impediunt, dum, pro ut constat ex Apostol. *ad Rom. 13.* juxta interpretationem Glos. & D. Chrysoft. &c. Item ex *act. 25.* totque titulis eod. de SS. Eccles. & de Episc. & Cleric. in principio nascentis Ecclesie sæpe Ecclesiastici subiecti fuerunt principibus & iudicibus sæcularibus. Item ex eo, quod Ecclesia ipsa clericum delinquentem graviter subiciat iudici sæculari ab eo iudicandum, non potestate Ecclesiastica, quippe quæ se ad punitionem corporalem non extendit, sed potestate sæculari. Ac denique ex eo, quod si illa esset juris divini naturalis, foret immutabilis & in omnibus Ecclesiasticis æqualis. Ita Delb. *l. c. à n. 36.* Sed neque hanc immunitatem esse juris divini positivi ex ullo sacra scripturæ loco evidenter colligetur, ut Delb. *l. c. à n. 41.* quem vide. Adtextus verò juris, Conciliorum & decisionum Rotæ dici potest cum Delb. *l. c. à num. 47.* quod ibi per jus divinum, ex quo esse dicitur illa immunitas, intelligatur canonicum aut etiam ordinatio instinctus Dei, quin & speciale præceptum à Christo acceptum de ea immunitate introducenda à Pontifice, de quo mox, vel etiam quod loquantur de causis intrinsecè spiritualibus. Atque ita dici, quod, licet immunitas illa à jurisdictione sæculari tam quò ad onera quàm quò ad forum Ecclesiasticum iudiciale non sit de jure divino immediatè, proximè, completè; sed mediatè remote originaliter, causaliter, fundamentaliter, inchoativè quatenus supposito jure divino dictante svadente vel supposita ordinatione Christi convenientissimum, & fortè etiam necessarium induci illam lege humana absque eo, quod sit necesse dicere, ut plures volunt citati à Delb. *l. c. num. 50.* esse à jure divino positivo, non quidem scripto, sed tradito per Apostolos, quemadmodum multa alia pertinentia ad formas & materias sacramentorum per istiusmodi traditionem ad nos pervenerunt. Proinde jam

2. Resp. Secundò immunitas Ecclesiastica exceptis dictis causis intrinsecè spiritualibus, est immediatè à jure seu potestate humana ecclesiastica, ad eam introducendam concessa Ecclesie seu summo illius capiti Pontifici à Christo; quippe quæ ad rectam Ecclesie gubernationem dignitatisque clericalis & Ecclesiasticæ honorem & splendorem convenientissima & forte etiam necessaria. Unde Pontifex nedum potuit (intellige, etiam in consultis & invitis Principibus sæcularibus, ut Delb. *l. c. f. 5. n. 1.*) sed & debuit eximere à jurisdictione sæculari Ecclesiasticos ratione sui muneris, quod absque tali exemptione exerceri nequit. Delb. *l. c. du. 2. f. 1. n. 60.* Qui & n. 61. addit, hinc credendum, non tantum hanc potestatem eximendi à Christo collatam Petro ejusque successoribus, sed & iisdem specialiter præceptum, ut immunitatem introducerent, pro ut satis colligitur ex verbis Trident. *paulè ante vii.* Quapropter etiam nulla potestate humana Principum ea inducta tolli vel minui possit; cum nulla potestas humana sit superior potestate collata Pontifici à Christo, de quo videndi Covar. *pract. 99. c. 3.* Farinac. *l. 1. tit. de inquisit. q. 8. num. 4.* Molin. *de just. Tom. 1. tr. 2. d. 31.* Lessl. *l. 1. c. 33. dub. 4. n. 35.* Malder. *in 2. 2. tr. 5. c. 6. dub. 4. in fine* & alii apud Delb. *l. c. f. 2. n. 3.*

3. Dixi: esse de jure humano Ecclesiastico seu canonico. Nam minus probabiliter dicitur à quibusdam eam à jure positivo civili Imperatorum primario inductam & pro hoc stare infinitum torrentem

DD. ait Delb. *cap. 1. dub. 2. f. 6. num. 10.* Cum plura decreta Conciliorum & Pontificum ante omnes Leges Imperatorum primario eam instituerint & concesserint, ut videre est apud Dian. *p. 7. tr. 1. resol. 7.* habuerintque jam sub nascentis Ecclesie initia, & sic ante concessionem Imperatorum sua tribunalia, suosque subditos ecclesiasticos judicaverint, ut constat ex illo Apost. *1. ad Timot. c. 5. adversus presbyteros nolentes accusationes recipere* &c. non obstante, quòd tunc temporis Imperatores infideles; cum potuerint etiam à potestate & jurisdictione principum infidelium, etiam invidiorum, subtrahere subditos suos ecclesiasticos, ut constat ex jam dictis, & docent Suar. *contra Regem Angl. l. 4. c. 11. n. 16.* Salas de *LL. d. 14. f. 12. n. 10.* De Lugo de *just. Tom. 2. d. 36. f. 7. n. 9.* Comit. *in resp. mor. l. 1. q. 93.* & alii, ad quos remittit Delb. *cit. f. 6. n. 10.* sed neque obstante, quòd de facto multi Imperatores in suis legibus civilibus concedant Ecclesiasticis immunitatem à potestate & jurisdictione laica: nam tales leges imperatorie non sunt primò institutorie, seu etiam de novo concessorie immunitatis ecclesiasticæ, sed solum subsidiarie, confirmatorie, declaratorie, adjutorie, executorie. Surdus. *vol. 3. conf. 396. n. 19.* Comit. *l. c. Dian. p. 7. tr. 1. resol. 8.* Befold. *in Synops. polit. doctrin. l. 1. c. 2. num. 8.* Delb. *cit. f. 6. num. 17.* plurimique alii quos apud eundem citat Bellet. *p. 1. lit. de favor. cler. person. §. 1. n. 25.* Qui omnes docent, Imperatores eximendo Ecclesiasticos non concessisse novum privilegium (cum Ecclesia à principio non fuerit laicali potestati & jurisdictioni subiecta) quàm ab errore veterum legum tributariarum & similibus quò ad ecclesiasticos cessasse, easdem tanquam perperam latas abrogando. Unde etiam dicendum leges hujusmodi civiles extantes in eod. auth. Novell. vel autoritate Pontificis latas, ut ex factis Constant. Theodof. martiani Justiniani &c. colligi videtur, teste Hurtad. de Mendoz. *Tom. 2. de fide d. 34. f. 9. §. 10.* Baron. *Tom. 7. anno 529.* Jo. and. *in c. non minus b. 1. & Abb. ibidem num. 18.* plurimisque aliis apud Delb. *l. c. num. 19.* vel quod alioquin nullæ sint etiam ab initio ex defectu jurisdictionis, ut Clarus *in §. Emphyteus: q. 28. n. 6.* Tann. *in Apolog. de immunit. Eccl. l. 1. c. 24.* Belarm. *de pot. Pontif. contr. a Barcle. c. 34.* Gratian. *discept. for. Tom. 1. c. 164. num. 12.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 2.* & plurimi alii apud Delb. *l. c. qui etiam num. 20.* & fufius *c. 8. du. 2.* idem dicit de illis legibus, de personis vel bonis Ecclesie expressè loquentibus, quòd etiam si tendant ad commodum Ecclesiarum, sint nullæ ex defectu jurisdictionis, nisi à Pontifice approbentur, juxta *c. Ecclesia S. Maria de constit. citatis pro hoc Menoch. conf. 291. n. 25.* Tufch. *V. Ecclesia, concl. 12. n. 18.* Surd. *vol. 1. conf. 2. n. 15.* & pluribus aliis. Porrò illud hic notandum, quòd, etsi gratis daretur seu supponeretur immunitatem Ecclesiasticam primario à legibus, favoribus & privilegiis Principum originari, adhuc ab iisdem tolli deno aut minui nequeat; eò quòd concessa esset in remunerationem beneficiorum, quæ ab Ecclesia in regna profluunt juxta *can. in qualibet 23. quest. 8.* Unde nequidem propter ingratitudinem revocari potest, ut Tiraquel. *in L. si unquam c. de revocand. donat. num. 13.* Roland. à Valle. *L. 1. conf. 98. num. 12. l. 2. conf. 76. n. 15.* Acac. *de privi. jur. civil. l. 3. c. 8. n. 1.* Maul. *de homag. tit. 9. n. 210.* Delb. *c. 2. du. 2. f. 2. n. 7.* citatis aliis quorum etiam quidam bene dicit esse perniciosissimam doctri-

doctrinam dicere posse Principes revocare praeogativas, immunitates, privilegia concessa Ecclesiae, si damnatum aliquod ex eorundem privilegiorum continuatione & conservatione saeculari politica sequatur) Item Castrop. *tom. 1. tr. 3. d. 4. p. 31. §. 1. n. 4.* citatis. Suarez. Sanch. Pont. Item ex eo, quod tale immunitatis privilegium concessum sit non subditis, adeoque transeat in contractum, ideoque sit irrevocabile juxta reg. *sicut ab initio. c. de alt. & obl.* communiter receptam à Canonistis & Juristis in *L. fin. c. de LL. & cons. Princip.* ac ita tenent Innoc. in *c. novit. de judic. n. 6.* Abb. *n. 13.* Felin. *n. 9.* Cardin. *cons. 147. n. 5.* Decius *cons. 407. n. 18.* Barbat. *L. 4. cons. l. 2.* pluresque alii citati à Delb. *l. c. n. 17.* Ut etiam ex eo probatur, quod repetere res deo oblatas (quale esset immunitas illa concessa Ecclesiae) sit sacrilegium; ac denique, quod Pontifices & Concilia, quae sunt supra Christianos Principes, illam immunitatem ab illis concessam confirmarint.

3. Resp. tertio in specie immunitas quoque seu jus asyli non est de jure divino, sed de jure civili & canonico, seu de jure canonico approbrante & confirmante in hoc jure civile, prout patet ex *c. 6. & c. fin. h. t.* & ita cum communione tenent Ambrosin. *de immunit. c. 1. n. 3.* Decian. *tr. crim. l. 6. c. 25. n. 2.* Fagund. *in praecep. Eccl. prac. l. 4. c. 4. n. 59.* Bonac. *p. 3. de prac. 1. de sal. q. 7. §. 1. n. 1.* Covar. *L. 2. var. resol. c. 20. n. 2.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 1.* Suar. *de relig. tom. 1. l. 3. c. 8. n. 9.* Zoës *h. t. n. 6.* Pirh. *h. t. n. 15.* pluresque alii apud Delb. *c. 16. du. 2. f. 2. n. 2.* quem miror pro opposito citari à Reiffenst. *h. t. n. 21.* qui etsi adhaereat nostrae responsioni tanquam communiori; contrarium tamen, quod nimirum jus asyli etiam in novo testamento, sit juris naturalis & divini positivi non esse improbabile ostendit. Quam oppositam tuentur Farrinac. *in Append. de immunit. c. 2. n. 9.* & Tusch. *Tom. 4. lit. S. Conclus. 59. num. 1.* Dian. *p. 4. tr. 1. resol. 44. & p. 6. tr. 1. resol. 29.* Cened. *in 99. Can. q. 42. n. 6. & seq.* & plures alii apud Delb. *l. c.* quorum quidam esse juris naturalis, quidam etiam esse juris divini positivi sentiunt contra quos tamen satis manifeste est, quod licet secundum congruentiam quandam juris naturalis talis immunitas Locis sacris competere videatur, lex tamen naturalis, etiam supposita loci sanctitate, id absolute non praecipiat, uti ex eo probatur, quod extractio rei à loco sacro, ut debitas poenas luat, quantum est de se, neque contra cultum divinum, neque reverentiam loco sacro debitam, aut aliàs intrinsece mala; sed potius juri divino naturali volenti delicta coerceri debitis poenis, & non manere impunita, ne aliàs bono publico & innocentum incolumitati non satis prospectum videatur conformis, sed neque lex ulla divina positiva amplius existet, dum ea quae in lege veteri certa refugii seu asyli loca constituta, una cum cæteris judicialibus & caeremonialibus legis Moisaicae per legem novam seu gratiae expiravit, nec ulla alia similis ei per Christum substituta. Ad hæc, si esset juris divini, sive naturalis, sive positivi immutari minui, etiam à Papa nec consuetudine tolli possunt, cum tamen per Pontifices jus asyli immutatum & quoddam certas personas & crimina restrictum & limitatum juxta *C. inter alia, h. t.* & teste Laym. *l. c. n. 2.* & variis locis consuetudine ei derogatum. De quo tamen sit specialis

Quest. 1004. An consuetudine jus asyli

aliarum immunitas respectu actionum rerum, personarum, tolli possit.

Resp. in hoc non consentire AA. nam primò hoc ipso, quòd jus asyli aliaque immunitas Ecclesiastica non sit de ullo jure divino, sed solùm de humano, contra quòd juxta *c. fin. de consuet.* valida est & licita consuetudo legitime praescripta, vi illius immunitatem illam minui aut tolli posse, tenent Barb. *L. 2. juris Eccl. n. 82.* Engels. *h. t. n. 9.* & Covar. apud Reiffenst. *h. t. n. 26.* etiam non obstante quòd ad talem consuetudinem deficiat expressus consensus Papae, ipsaque talis consuetudo contra immunitatem Ecclesiasticam videatur à jure reprobata, & in judicio contradictorio nunquam asserta & confirmata; eò quòd ad consuetudinem, etiam contra legem legitime inducendam, non requiritur expressus consensus Principis aut confirmatio illius in judicio contradictorio. De quo videntur dicta *L. 1. tr. 4. de consuet.* jura vero reprobantia talem consuetudinem loquantur de immunitate reali & personali, & non de immunitate locali asylo- rum, vel dum ejus quoque meminerunt, reprobant & annullant solùm consuetudines praeteritas, non futuras, quae adhuc licite & valide induci possunt contra legem, etsi per clausulam: *non obstante quacunque consuetudine* praecedentes eam sublatae sint: ita fere Reiffenst. *n. 76.* ad quae tamen quòd dicendum patebit ex mox subjungendis, quamvis & ipse Reiffenst. *n. 27.* cum Engels. *h. t. n. 9.* addat, non esse huic consuetudini favendum, si totum tollat aut nimirum minuat jus asyli, utpote quòd non tantum tam jure canonico quam civili firmiter statutum, sed & moribus gentium ab omni aevò stabilitum, ac in ratione venerationis sacris locis debite fundatum ad dictamen aliquod naturale propius accedat. Illud addens certum esse, quòd consuetudo contra jus asyli regulariter non praesumatur; cum sit quid facti, adeoque probanda legitime ab asserente eam. Quin & contrarium non tantum de jure asyli, sed & de immunitate, quae Ecclesiastici quoad res personaeque suas immunes sunt ab oneribus & jurisdictione Principum, eam per consuetudinem, etiam immemorabilem tolli aut minui non posse, absolute tenent *Gl. in c. ult. de consuet. V. r. rationabilis.* Abb. *inc. Clerici de judic. n. 5. & 6.* Lupus *de libert. Eccl. p. 1. q. 6.* Martha *de jurisdict. p. 4. cas. 63. & seq.* Suar. *de immunit. l. 5. c. 4. n. 10.* Azor. *Tom. 1. l. 15. c. 13. q. 8.* Tanner. *de def. libert. eccl. c. 16.* Sperel. *decis. 103. n. 45.* Guttier. *99. pract. l. 1. q. 1. n. 12.* & alii quos citat & sequitur Delb. *c. 1. du. 15. f. 1. n. 1. & n. 15. c. 4. du. 31. n. 5.* contra Covar. *in pract. q. 41. n. 5. & c. 35.* & Clarum *L. 5. sent. 5. pract. crim. q. 36. n. 3.* Nav. *c. 27. man. n. 70.* Farin. *tit. de inquisit. q. 8. n. 3.* Joan. Garciam. *de nobilit. Gl. 9. n. 44.* Villalob. *in com. opin. V. Clericus. n. 80.* Cutell. & alios apud Delb. docentes immunitatem non quidem in totum sed ex parte & in particulari tolli posse per consuetudinem ut v. g. Magistratus saecularis in certis causis, aliàs ad Magistratum Ecclesiasticum spectantibus jurisdictionem exercent. Verum contra derogationem immunitatis, tam ex parte, quam ex toto vi consuetudinis est, quòd fieri id nequeat, neque per modum revocationis, interveniente nimirum scientia, & sic tacito consensu Pontificis, cum constet illum hujusmodi consuetudini non praebere consensum tacitum approbativum; sed potius eam expresse reprobare & damnare per generalia edicta & per Bullam aenae quot annis coram Principum Oratoribus publicari solitam & Bullam Urban. VIII.

editam s. Junii. 1641. extendentes se ad quascunque consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam non tantum novas ex eo tempore, quo publicari ceperunt, inductas, sed & impostero inducendas, & quasque antiquas, non obstante, quod interdum ad majus malum evitandum tolleretur contrarium. Neque etiam per viam prescriptionis. cum consuetudo damnata à Conciliis & decretis Pontificum ut irrationabilis & corruptela (qualis est hæc, utpote nervum Ecclesiasticæ disciplinæ infringens, ut Abb. & Gl. cit.) non possit viâ prescriptionis legem abrogare, prout constat ex C. ult. de Consuet. Ad hæc ubi incapacitas possidendi est in præscribente (qualis est in seculari exercendi jurisdictionem in Ecclesiasticos) nullo tempore procedere potest prescriptio, multoque minus, etiamsi ejus initii non sit memoria, privilegio æquiparari potest, quin & eam nisi auctoritate & adminiculo legis necesse est. Hæc verò prescriptio contra libertatem Ecclesiasticam nullum neque ex Jure canonico, neque civile tale adminiculum habet. Delb. l. c. n. 8. & seq. Et quod nequidem ex parte immunitatis derogari possit, specialiter ex eo probatur, quod Jura, Concilia, Pontificum Decreta, dum abrogant consuetudinem talem ut corruptelam, non loquuntur de consuetudine generali, hoc est, in universum vel in omnibus casibus & causis, tam criminalibus quam civilibus immunitatem tollente, cum in nullo regno catholico talis consuetudo induci attentata fuerit sed de particulari, ut patet ex C. Cleric. de Jud. ex Bulla cœnæ. Possit tamen adhuc esse locum prescriptioni per tempus, cujus initii memoria non est, dum secularis Magistratus exercens jurisdictionem in Ecclesiasticos, fundat se, non in mera consuetudine sed in titulo rationabiliter & bona fide prescripto (qualis est privilegium Apostolicum, de quo paulo post) tradit Delb. de immunit. C. 4. du. 31. n. 11. & 12. remittens ad Nav. in man. C. 27. Vasq. 1. 2. d. 197. C. 4. n. 32. Azor. p. 2. L. 10. C. 7. q. 7. Bonac. de censur. d. 1. q. 15. p. 4. Filliac. Tom. 1. tr. 16. C. 10. n. 258. Cutell. de immunit. Eccles. L. 1. q. 9. 2. n. 7. & seq. & alios. Talem verò consuetudinem immemorabilem legitime prescriptam fundatam in privilegio Apostolico posse ex rationabili causa tolli & revocari à Pontifice, non secus ac ipsum privilegium, in quo fundatur, citato pro hoc Suar. astruit Delb. n. 13. quin etiam facta inter Ecclesiæ Prælatos & Principem sæcularem concordia, eaque à Pontifice confirmata super immunitate minuta, adhuc ex gravi ad publicum spectante causa revocari. Idque sive concordia ideo tantum facta, ut intelligatur, quousque privilegium gratuito concessum se extendere debeat; quia, ut jam dictum, ipsum tale privilegium revocari potest. Sive concordia in pactum onerosum & reciprocum transierit, ut patet ex generali doctrina, juxta quam privilegia, licet à Principe ob merita vel imposito onere concessa ex tali publica gravissima causa ex plenitudine potestatis revocari possunt; cum talis casus semper in concessione & concordia ipsa exceptus censeatur ex eo, quod bonum publicum semper privato præferri debeat, motamen parti privilegiatæ damnium inde secutum compensetur. Ita fere Delb. l. c. n. 16. & 17. cum Suar. de LL. L. 8. C. 37. n. 5. Cutell. l. c. L. 2. q. 96. Baldel. L. 5. d. 40. Nequit tamen Papa sine justa causa immemorabilem cum constante fama & traditione de concessio Privilegio prescriptam consuetudinem vel privilegium præsertim per modum

contractus vel concordia concessum revocare; ut id colligitur ex plurimum Pontificum responsis in unum collectis in Decreto Gratian. *Caus. 25. q. 2.* & absolute tenent Suar. *in def. fid. L. 4. C. 24. n. 21.* Gonz. *ad reg. Cancell. Gl. 26. n. 5.* Sallicet. *de Leg. pot. l. 2. C. 15. n. 90.* Cutell. l. c. q. 2. n. 2. & seq. & alii, quos citat & sequitur Delb. n. 21. ex ea etiam ratione, quod, cum Principes sæculares privilegia à se concessa revocare sit indecorum, multò magis dedecet Pontificem, qui in integritate & constantia fulgere debet, hæc in parte superari à Principibus sæcularibus, ut dicitur in C. *per tuas. de Donat.*

Quæst. 1005. Quid Pontifex possit quoad tollendam vel minuendam libertatem Ecclesiasticam.

1. **R**esp. primò: Summus Pontifex (cum ei data non sit potestas in destructionem, sed solum in ædificationem) nequit sine justa causa in aliquo immunitati Ecclesiasticæ renunciare, essetque talis renunciatio nulla & irrita, & si facta, revocari debet. Delb. l. c. C. 4. d. 31. n. 18. cum communi. Si tamen ab initio ex justa & rationabili causa facta & concessa Magistratui sæculari hic & nunc jurisdictioni aliqua in Ecclesiasticos, & dein hæc concessio ob rerum & temporum mutationem evaserit iniqua; quia v.g. in contemptum statûs Ecclesiasticæ & Ecclesiæ detrimentum vergere incipiat, à Papa revocanda est.

2. **R**esp. secundo: potest nihilominus Pontifex vel Concilium generale de immunitate Ecclesiastica etsi ea esset juris divini, ex justa causa, nimirum urgentissimis casibus, quæ commune bonum vel totius Ecclesiæ aut regni alicujus respiciunt, remittere & Principibus sæcularibus permittere, vel etiam committere, ut adversus Ecclesiasticos aliquam jurisdictionem exerceant, vel aliqua tributa exigant, ita ut eis suam potestatem deleget cujus delegationis & concessionis illi capaces sunt. Ita Suar. *de immunit. l. 4. p. 2.* Aufr. *de pot. sæcul. in Eccles. reg. 1. fall. 12.* Dian. *loc. mox cit. n. 112.* Nav. C. 27. n. 6. Menoch. *de rein. poss. remed. 3. n. 35.* Delb. C. 1. du. 2. S. 3. n. 5. & plures apud illum. Quin & posse quosdam Ecclesiæ Prælatos inferiores aliquid contra immunitatem & libertatem Ecclesiasticam fieri permittere, si sine scandalo vel majoris mali periculo id impedire nequeant, tradit Delb. C. 1. du. 2. S. 1. an. 15. idque probat exemplo Apostoli provocantis ad Cæsarem non nolentis directe judicari, saltem de jure, sed ut inferioris Judicis iniquam sacrilegam & toti nascenti Ecclesiæ perniciosam sententiam declinaret, pro quo remittit ad Turrect. *in C. s. adjutorium dist. 10. n. 3.* & seq. Azor. *Tom. 1. L. 5. C. 12. q. 1.* Castillo *in 3. sent. Tom. 2. d. 16. de potest. Papa. q. 12. n. 7.* August. *Triumph. de potest. Eccl. p. 6. a. 8.* & alios.

3. **R**esp. tertio: tamen igitur Papa pro ratione tempotum & occasionum libertatem illam restringere & ampliare possit, non potest tamen, etsi non sit nisi de jure humano, eam tollere totaliter, id est, quoad omnes Clericos, omnia onera & causas; quia non potest tollere, quod rectæ Ecclesiæ gubernationi necessarium est, cum non sit data ei potestas in destructionem; sed neque Pontifex sit Dominus absolute bonorum sedis suæ datorum à Principibus primario quidem Christo, & Pontifici ut Vicario ejus. Unde is non est nisi dispensator illorum prudens & fidelis, ut D. Gregor. *Epist. 37.*

ad Natalem Episcop. L. 2. ad hæc talis renunciati-
onis seu derogationis totalis nulla videtur posse
esse rationabilis causa; qualis tamen, ut non solum
licite sed & valide Pontifex, etiam ex parte, ut
dictum, derogat immunitati, necessario requiri-
tur. Ac denique neque Christus unquam in tan-
tum, tamque præjudicalem renunciacionem con-
sensisse censetur. Et ita docent Surd. Tom. 3. Con-
sil. 301. n. 53. Viginian. tr. de immunit. Eccl. d. 5.
Farin. l. c. q. 8. n. 4. Suar. def. fid. L. 4. de Im-
munit. C. 30. per totum. Dian. p. 1. tr. 2. resol. 2.
Cutell. l. c. L. 2. n. 2. & alii, quos citat & se-
quitur. Delb. C. 1. du. 2. f. 3. à n. 1. & du. 14.
f. 1. à n. 16.

*Quæst. 1006. An Ecclesiastici renunciare
possint privilegio immunitatis?*

REsp. Ecclesiasti immunitatis, quæ immunes sunt
ab oneribus & jurisdictione & foro judiciali
Principum sæcularium, neque expressè, neque ta-
cite renunciare possunt. Ita juxta C. diligent. de
for. Comp. C. Cum non ab homine. C. at si Clerici de
judic. C. Cum non contingat de sent. excom. do-
cent Covar. qq. pract. C. 33. n. 2. Gomes Var.
resol. Lit. 3. C. 10. n. 30. Suar. l. c. C. 31. n. 1.
Cutell. l. c. L. 2. q. 3. Delb. C. 1. du. 14. f. 1. n. 6.
ubi addit: modò Ecclesiasticorum immunitas fit
aliquo saltem modo à jure divino, intellige me-
diatè, fundamentaliter, ordinative, præceptivè
secundùm dicta in antecedentibus, & C. 4. du.
31. n. 1. ex ea ratione. quòd immunitatis privile-
gium concessum Clericis ratione dignitatis Cleri-
calis, quam diu illam retinent, privilegio illi re-
nunciare nequeunt, quòdque renunciatio cedat in
publicum damnum, nimirum totius Ordinis Cle-
ricalis, præsertim Prælatorum, & primariò sum-
mi Pontificis: dum non est ob particularem ali-
quorum, sed ob communem Ecclesiasticæ Hierar-
chiæ favorem constituta. ut Abb. in C. noverit. de
sent. excom. Cajetan. V. immunitas Eccles. Suar. de
Censur. D. 21. f. 2. n. 89. Delb. l. c. à n. 2. Ad-
hæc superiores, præsertim Pontifex lege cavere
possit (uti id eum fecisse patet ex juribus paulò an-
te citatis) ne subditi jurisdictionem alterius (v. g.
Ecclesiastici sæcularium) in se prorogent, præser-
tim dum, in quos fit prorogatio illa, de se incapa-
ces sint illius, adeoque prorogatio est frustranea.

2. Extenditur responsio primò, ita ut etiam re-
nunciatio juramento confirmata sit nulla, cum ta-
le juramentum, utpotè de re illicita, & quæ non
est in potestate jurantis, sit nullum & sacrilegum,
ut juxta C. si diligenti de for. Comp. Farin. Suar.
LL. cit. Scacc. de judic. L. 1. C. 11. n. 35. Exten-
ditur secundò, ut dicta renunciatio etiam de con-
sensu Episcopi facta non valeat; cum privilegium
immunitatis jure communi concessum Clerico,
ita ut simul ei præceptum, ne contra illud agat.
Episcopus etiam contra illam immunitatem nihil
possit, cum quæ jure communi statuta, immu-
tare nequeat, ita juxta C. qualiter & quando. Gl.
in C. significasti. de for. Comp. Scacc. l. c. n. 28.
Suar. in def. fid. L. 4. de immunit. C. 31. n. 8. &
13. Farin. cit. q. 8. n. 13. Delb. C. 1. du. 14. n.
9. & seq. Idem est de consensu qualiscunque
communitatis particularis Ecclesiasticæ ob ratio-
nes jam datas. Valet verò renunciatio illa facta
cum consensu Pontificis, utpotè cui datum privi-
legia omnia (etiam, ut ait Delb. n. 14. quæ sunt
juris divini) uti ampliare, ita & restringere, tam
quòd causas quam quòd personas, pro ut Ec-

clesiæ expedire judicaverit, ut Suar. l. c. & di-
ctum ante. Plura de renunciacione immunitatis
præsertim fori vide apud auctores in L. 2. decret.
Tit. 7. de foro Comp.

*Quæst. 1007. Quenam loca gaudeant
immunitate locali in ordine, ut actus
profani in iis fieri nequeant?*

REsp. primò: imprimis veniunt omnes Ec-
clesiæ etiam nondum consecratæ aut bene-
dictæ, sed alià ratione v. g. erectione crucis, po-
sitione primi lapidis ab Episcopo, ad cultum di-
vinum missæ sacrificium aliaque officia divina de-
putatæ, quia is locus eo ipso ex tali deputati-
one sacer est & religiosus, ideoque juxta C. 4. de relig.
domibus, nullis amplius usibus profanis applicabi-
lis seu, ut dicitur C. 9. h. t. nullis usibus temera-
riis profanandus. Suar. Tom. 1. de religio. tr. 2. L.
3. C. 9. n. 1. Sanch. Tom. 2. Consil. mor. L. 6. C. 1.
du. 7. n. 9. Delb. C. 16. du. 2. S. 1. n. 1. Idque
etiam si nulla adhuc ibidem officia divina celebrata,
ut cit. C. 9. Pontifex non allegat pro causa ce-
lebrationem divinarum officiorum jam ibi fa-
ctam sed ad divina ibidem facienda factam
deputationem, & ita docent Sylv. V. immunitas
1. q. 1. dicto 1. Abb. in cit. C. 9. n. 5. Fagn. n. 8.
Host. V. celebrantur. Sanch. l. c. Delb. l. c. n. 8.
Azor. p. 2. L. 9. c. 8. q. 1. Reiffenst. h. t. n. 8.
contra Clos. in cit. C. 9. V. celebrantur. Tuschum.
V. Ecclesia. Concl. 9. n. 16. Ambrosin. de immunit.
C. 10. n. 2. Decian. L. 6. C. 24. n. 24. & alios ap-
ud Delb. l. c. n. 8. Idemque ut manifeste ex dictis
sequitur, dicendum, etiam si ibi Eucharistia non
asservetur. Cum ratio, cur tali loco concedatur
immunitas, non est continua sacramentalis præ-
sentia, sed sola dicta deputatio ad divina, Et ita
contra Covar. L. 2. var. C. 20. n. 4. Clar. §. fin. q.
30. n. 30. Tusch. l. c. n. 19. Germon. de sacror.
immunit. L. 2. C. 16. n. 16. docent cum communione
& probabiliore, ut inquit Delb. l. c. n. 5. & seq. Far-
in. l. c. q. 28. n. 34. & in append. de immunit. C. 17.
n. 254. Peregr. de immunit. C. 4. n. 2. Gambacur.
L. 3. §. 4. n. 5. & c. Idem quoque, ut Butr. in cit.
C. 9. n. 3. Jo-and. n. 1. Abb. n. 2. Barbof. n. 10.
Reiffenst. n. 9. de Oratoriis privatis, modò au-
thoritate Episcopi deputata sint divinis officiis. Se-
cus de oratoriis sine dicta autoritate erectis, eti-
am si Pontifex vel Episcopus concesserit licentiam
in iis celebrandi, ut Delbe l. c. cum cit. AA. quin
& c. etiam si in iis ex privilegio celebratæ. Item
de Ecclesia polluta, necdum reconciliata; cum
ratione pollutionis non desinat ejus sanctitas; &
privatio immunitatis inter effectus pollutionis in
jure non repetitur, istiusmodi autem censuræ juris
utpotè pœnales & odiosæ ultra casus in jure ex-
pressos extendi non debent. Et ita tenent Abb.
Sylv. LL. cit. Clar. §. pract. Crim. q. 30. num. 3.
Fusch. l. c. n. 9. Azor. p. 2. L. 9. C. 8. q. 4. Far-
in. l. c. n. 29. Fagund. pract. 2. L. 4. C. 4. q. n.
62. Laym. L. 4. q. C. 3. n. 2. Pirh. h. t. n. 3. &
plures alii apud Delb. C. 16. du. 9. f. 3. illis in-
hærentem. Item de Ecclesia interdicta ob easdem
rationes. dum nequidem Clericus ob interdictum
perdat sua privilegia. Abb. Sylv. Clar. Tusch. Azor.
Suar. Laxm. Fagund. Pirh. & alii LL. cit. Delb. l. c.
f. 4. à n. 1. quamvis id ipsum, ut Idem n. 4. non o-
mnino improbabiliter limitent aliqui quòd pere-
grinos, ut ii ibi fruantur asylo, & non incolas, ob
quorum delictum Ecclesia interdicta. Item de
Ecclesia diruta, nisi forte diruta autoritate supe-

superioris & sine spe reedificationis, in quo casu omnia sua privilegia amittit, & definit esse locus sacer. Ita Tusch. l.c. n. 10. Decian. l. 6, c. 24. n. 27. Farin. in append. C. 17. n. 260. Ambrosin. l.c. C. 10. n. 3. Dian. p. 6. tr. 1. resol. 3. Pirh. h. t. n. 3. Barbol. de Jur. Eccl. l. 2. C. 3. n. 62. Marant. p. 2. resp. 35. n. 2. Delb. l. c. f. 5. contra Corream. in relat. de immunit. Eccl. p. 2. n. 10. & paucos alios. Et hæc posteriora de Ecclesia non asservante Eucharistiam, de Ecclesia polluta, interdicta, diruta potissimum in ordine ad immunitatem asyli.

2. Resp. secundo gaudet etiam immunitate, ut geri in iis nequeant actiones profanae omnia loca & habitacula Ecclesiae adhaerentia, ut sacristia, Capellæ, ambitus, Porticus, atrium. Barbol. in C. 9. h. t. n. 7. Pirh. eod. n. 3. Tusch. V. Ecclesia. Concl. 10. n. 3. Delb. l. c. f. 6. n. 1. (quamvis is eadem in ordine ad immunitatem asyli designet) Reiffenst. h. tit. n. 1. § 2. & alii lumentes id ex Can. si quis in atriis & Can. Constitutum 17. q. 4. juncta Gl. V. adhaerentibus, ubi id in specie dicitur de atrio & Porticu Ecclesiae item ex L. pareant. C. de his, qui ad Eccl. & L. qua religiosi. ff. de R. V. ubi & ratio additur communis tam immunitati ab exercendis actibus profanis, quam immunitati asyli, dum dicitur, quæ religiosis adhaerent, etiam religiosa sunt. His non obstante, quod in locis memoratis effuso sanguine vel semine eadem non polluantur, cum ad effectum pollutionis utpote pœnalem & odiosum adeoque non extendendum & solus internus ambitus Ecclesiae spectetur, Secus quoad privilegium immunitatis utpote favorabile & gratiosum.

3. Resp. tertio eadem immunitate gaudet cæmeteria Ecclesiastica, utpote universaliter gaudentia eisdem privilegiis, quibus Ecclesia. Arg. C. 5. h. t. Et ibi Abb. n. 5. cum communi & juxta C. fin. h. t. & C. 2. eod. in 6. ubi diserte dicitur: *Cessent in Ecclesiis earumque cæmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum ac fori cujusque tumultus: omnis in eis secularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos criminalis maxime agitur.* De pluribus aliis locis concernentibus specialiter immunitatem asyli dicitur in speciali sequentibus.

Quest. 1008. An & qualiter igitur in prædictis locis prohibitum exercere actus judiciales?

1. Resp. primo: in Ecclesia, cæmeterio aliisque locis tractare causas criminales, in quibus agitur de effusione sanguinis vel pœna corporali, prohibetur claro textu C. decet. h. t. in 6. ubi: *nulla inibi causa per laicos maxime criminalis agitur, & quidem sub interminatione anathematis C. cum Ecclesia. h. t. ubi addita etiam ratione dicitur: Ubi de sanguinis effusione & corporali pœna agitur, in Ecclesiis & cæmeteriis agitare sub interminatione anathematis prohibemus. Absurdum enim est & crudele, ibi iudicium sanguinis exercere, ubi est tutela refugii constituta.* Et ibi DD. communiter. Quam tamen excommunicationem non esse lætæ, sed ferendæ sententiæ, notat Gl. ibidem. V. anathematis. Continere tamen hanc læsionem immunitatis gravem culpam sacrilegii à iudice laico contractam, esseque tales processus criminales ac speciatim sententias iudicum secularium in talibus locis prola-

tas nullas, & carere omni robore firmitatis dicitur *cit. C. decet* & juxta illud Delb. C. 2. du. 3. f. 2. n. 2. remittens ad Suar. tom. 1. de religione L. 3. C. 4. à n. 12. Extendunturque hæc ipsa ad informationes iudicarias summarias super delicto in iisdem locis à iudice seculari non faciendas; cum licet actus iudicarius perfectus non sit cum citatione partis, sit tamen actus inchoatus & lejusdem rationis, ac proinde sub eadem prohibitione contentus. Delb. l. c. à n. 3. remittens ad Nav. de orat. horar. Can. C. 5. n. 40. Arg. *cit. C. decet.* dum ibi dicitur: *sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena.*

2. Resp. secundo: Prohibentur quoque in iis locis exerceri actiones seu processus & sententiæ judiciales civiles sub eadem nullitatis pœna, dum *tit. C. decet.* dicitur in Ecclesiis & c. secularium strepitus conquiescat. Unde etiam *cit. n. 2.* deducit, idem dicendum de istiusmodi processibus civilibus ibi exercitis quoad gravem culpam sacrilegii, Dixi tamen: iudicia secularia, sententiæ & processus civiles à iudicibus secularibus exerceri ibidem prohibentur; quia iudicibus Ecclesiasticis permilsum ibi cognoscere de delictis Ecclesiasticorum sententiam (puta excommunicationis, depositionis, excepta sententia sanguinis, desuper ferre, aliasque causas dijudicare. C. cum in Ecclesia h. t. C. relinqu. de Custodia Eucharistia. Gl. in C. cum Ecclesia V. effusione. Abb. in C. fin. de appell. n. 2. Delb. *cit. f. 1. n. 12.* quamvis tamen, ut cum Suar. l. c. n. 11. & Pirh. h. t. n. 7. Reiffenst. h. t. n. 14. decentius, convenientius & praxi hodiernæ conformius, ut etiam Ecclesiastica iudicia non in Ecclesia, sed extra illam v. g. in domo Episcopi, camera aliove loco commode fiant.

Quest. 1009. Quid sit circa alios actus extrajudiciales in locis sacris exercendos?

1. Resp. primo: Actus qui etsi cum strepitu iudiciali similitudinem aliquam habeant, judiciales tamen non sunt; quia non jurisdictionis contentiosæ sed voluntariæ sunt, etiam exerceri in locis sacris à secularibus illicitum non est, quia voluntariam jurisdictionem etiam secularem in Ecclesiis exercere nullo jure prohibentur. Tales v. g. actus sunt dispensatio pupillorum, provisio, electio, presentatio facta à laicis. Delb. l. c. n. 13. Collatio Doctoratus; vel magisterii communi etiam consuetudine approbante, utpote quæ collatio honestatem continet. Delb. l. c. Azor. L. citand. q. 4. Abb. in C. Ecclesia. h. t. n. 9. Suar. l. c. C. 4. num. 15. Item Disputationes & prælectiones publicæ; cum etiam scientia res sancta dicatur. L. 1. §. proinde. ff. de var. & extraord. Cognit. Azor. l. c. Pirh. h. t. n. 11. Item congregatio universitatum & facultatum literariorum, puta Philosophicæ, Theologicæ, Juridicæ, uti habet moderna praxis, tales congregationes fieri in templis vel canobis Regularium, unde dum *cit. C. decet.* prohibentur in iis fieri universitatum & societatum quarumlibet Concilia, Conciones, & publica Parlamenta, id intelligendum, dum materia & tractatus talium Congregationum est omnino temporalis & secularis, Nav. de orat. C. 5. n. 35. Abb. l. c. Laym. L. 4. tr. 10. C. 7. n. 9. Suar. *cit. C. 4. n. 16.* Delb. l. c. 1. §. Secus, ut iidem, si agatur de rebus Ecclesiasticis ut fuit Synodi in quibus de statu & reformatione Clericorum aliisque ad pietatem spectantibus non prohibentur. Imo ludæ theatrales

ad pietatem conducentes nihil turpe continentes. Sylv. v. *immunitas*. modò tamen hæc fiant sine tumultu & strepitu & divina officia non impediatur. Delb. l. c. remittens ad Abb. in c. cum Ecclesia. num. 6. Nav. c. 5. de orat. n. 37. Azor. Tom. 2. l. 9. c. 9. g. 3. Laym. l. 4. tr. 10. c. 7. n. 9. Suar. l. c. n. 15. & alios.

Resp. secundò: prohibentur *cit. c. 2. h. t. in 6.* negotiationes) præcipuè nundinationes) & quilibet contractus usum politicum respicientes exerceri in Ecclesiis & cæmeteriis; sunt tamen tales contractus validi, cum in jure nullibi irritentur, uti irritantur judicia secularia ibi agitata; adeoque penalis hæc constitutio tanquam odiosa ad dictos contractus non est extendenda. Gl. in *cit. c. 2. v. processus*. Abb. l. c. Suar. l. c. n. 18. Pirh. h. t. num. 12. Etsi autem peccetur exercendo ibi contractus, non peccati tamen semper graviter, nec committi sacrilegium, sed tunc solùm, si adsit negotiatio, id est, expositio ad pluries contrahendum, cum vociferatione & tumultu; quia hæc tantùm perturbat divina officia multumque profanat Ecclesiam, etiam si, quæ venduntur fidelium pietati infervant, ut patet ex factò Christi Matth. 11. & Joan. 2. ejicientis è templo vendentes, tradit Delb. *cit. c. 2. du. 3. f. 7. num. 1.* cum Sylv. v. *negotiatio*, q. 2. quæ tamen perturbatio divinorum & profanatio Ecclesiæ, quia cessat, dum venditio fit in cæmeterio (cui etiam minor reverentia quam Ecclesiæ debetur) vel ad portam Ecclesiæ excusari vendentes & ementes à gravi sacrilegio, docet ibid. Delb. num. 4. & 5. citatis Nav. c. 5. de orat. Suar. Tom. 3. de Eucharist. d. 81. f. 8. verb. 2. Fagund. p. 2. de præcep. l. 4. c. 4. quin etiam posse esse tantum veniale, si contractus instituat in Ecclesia, merce alibi existente docent Cajet. v. *immunitas*. §. *discernendum*. Sotus l. 6. de iust. & jur. q. 2. a. 2. Molin. de iust. Tom. 2. d. 344. Suar. l. c. Medin. de rest. q. 30. v. quarto, Delb. l. c. num. 6. Idemque dicendum, si contractus venditionis fiat in Ecclesia per accidens (secus si Ecclesia per se & ex instituto eligatur ad venditionem, cum valde incedens sit domum dei facere domum negotiationis) v. g. in transitu vel recessu propter pluviam. Cajet. Suar. LL. *cit.* Delb. l. c. num. 8. de cætero si res vendendæ ad populi devotionem deserviant ut candelæ vel panes ad altare offerendi, toleratur in quibusdam locis tanquam honesta consuetudo ea dividendi in cæmeteriis, imò in ipsis Ecclesiis, si fiat sine strepitu & divini cultûs augendi gratiâ, tradunt Angel. v. *immunitas*. §. 9. Molin. l. c. &c.

Resp. tertio: in *cit. c. decet*, prohibentur quoque confabulationes otiosæ, vanæ multoque magis scædæ quæque, ut explicat apud Pirh. h. t. num. 12. Suar. quæ graves detractiones, jurgia & odia fovent. quæ, si in se sunt peccatum mortale, sacrilegii malitiam involvere, quia ob reverentiam loci graviter prohibentur, ait Delb. l. c. f. 6. n. 1. & 2. ac proinde hæc circumstantia, quod habitæ sint in loco sacro, addenda videtur in confessione, dicendo v. g. habui confabulationes scædas in Ecclesia, non secus, ac si ibi habitæ factus turpes vel oscula specificandum quod habitæ in Ecclesia; quod ipsum tamen communiter non admitti; cum sola, quibus polluitur Ecclesia in genere Luxurix, habeant circumstantiam sacrilegii necessariò confitentiam, dicit Delb. l. c. f. 3. num. 6. & seq. citans pro hoc Cajet. Tom. 1. tr. 17. *responsion*, resp. 12. du. 1. Vasq. in p. 2. Tom. 1. q. 72. a. 6. d. 98. c. 3. n. 4. Pont. de mat. l. 10. c. 10. n. 15. Dian. p. 2. tr. 7. *resol.* 25. Quòd si tamen confabulationes sint honestæ & extra tempus divinorum officiorum sine scandalo fiant, eas etiam dampnare peccati venialis nimis durum videri ait Delb. l. c. f. 6. n. 2. Denique in genere illud hic notandum, quod astruit Idem l. c. f. 3. n. 1. nimirum quòd dictarum confabulationum solummodo vanarum, Conciliorum & contractuum politicorum & similia prohibito non sit ita rigorosa prohibitio, uti est processuum & sententiarum, ut exercitium illorum sacrilegium involvat, nisi fiat ex contemptu vel cum notabili impedimento divinorum officiorum.

Quæst. 1010. an & qualiter ledatur immunitas localis Ecclesiæ violenter infringendo fores illius?

Resp. violari illam hac ratione aut etiam rapiendo res illius, sumitur ex *can. omnes. can. sicut. can. quisquis can.* . . . q. 4. ubi transgressores non tantùm sacrilegi dicuntur, sed & excommunicantur ipso facto, si cum effractione fiat spoliatio. item *c. 22. de sent. excom.* & ibi gl. v. *excommunicatos*. uti etiam *cit. can. omnes juncta gl. v. consentiant*. habentur sacrilegi & iisdem poenis juris subjacent consulentes, mandantes, vel alio modo cooperantes ad istiusmodi violationem, ac ita tenent cum Suar. *cit. l. 3. c. 8. n. 3.* Pirh. h. t. num. 14. Reiffenst. num. 18. & alii communiter.

CAPUT II.

De immunitate asyli.

Quæst. 1011. quæ loca gaudeant immunitate asyli?

1. Resp. primò præter ea, quæ desuper dicta in præcedentibus de immunitate locali in genere, in specie applicando illa, aliaque addendo immunitati asyli, illius immunitate gaudent Ecclesiæ etiam pollutæ non reconciliatæ, interdixtæ, omniaque loca illis adhærentia secundùm dicta, item necdum perfectè constructæ, cum eo ipso, quod autoritate Episcopi constructi caperint, jam locus divinis officiis dicatus adeoque sacer est. Abb. in *c. Ecclesia*, h. t. n. 5. Anchar. num. 1. Sanch. de mat. l. 9. R. P. *Leur. Jur. Can. Lib. III.*

d. 15. num. 39. Delb. c. 16. d. 9. f. 2. num. 1. gaudent quoque dicta immunitate asyli Ecclesiæ non solùm quòd ad ambitum internum, sed & quòd ad totam suam fabricam, puta tectum, fornicem, turres, parietes, extimas portas; quia hæc omnia veniunt significatione Ecclesiæ eique adhærentium intrinsecus vel extrinsecus; estque immunitas hæc asyli latè interpretanda, quia est privilegium per modum legis juri communi insertum, quod latam habet interpretationem. Item est causa pia & favorabilis Ecclesiæ, quæ per hoc non intendit impunitatem delictorum.

Z z z

aut

aut etiam fovere per hoc audaciam sceleratorum, sed præstare misericordiam miseris. Ac ita contra covar. l. 2. var. c. 20. num. 5. in fine. Cutell. de immunit. Eccl. l. 1. q. 4. num. 18. & alios quosdam consentientes esse strictæ interpretationis, eò quòd deroget juri communi, quin & naturali caventi, ne delicta mateant impunita rectius docent Ambrosin. de immunit. Eccl. c. 10. n. 7. Farin. in append. immunit. c. 2. n. 21. Genuens. in pract. Archiep. c. 22. n. 22. Goazin. de defens. reorum vir. ex defect. jurisd. defect. 1. Franchis decis. 713. l. 4. Barb. de univ. jur. To. 2. c. 3. n. 90. Delb. c. 16. du. 3. Unde.

2. Resp. secundò: securus itaque est primò, qui fugere volens ad Ecclesiam, portas illius inveniens clausas easdem vel earum seras, vectes, ansam apprehendit, quia talis adhuc adhæret Ecclesiæ. ita juxta c. si quis. 17. q. 4. ubi declarantur spatia immunitatis usque ad extremas fores. docent Bonac. d. 3. q. 7. de immunit. §. 2. n. 1. Sanch. in opusc. Tom. 2. l. 6. c. 25. n. 17. Bobadil. in polit. To. 1. l. 2. c. 14. Dian. p. 6. Tom. 1. resol. 3. Villalob. Tom. 2. tr. 39. diffi. 5. num. 4. Covar. l. c. n. 18. Barb. l. 2. jur. Eccl. c. 3. n. 65. Laym. l. 4. tr. 9. c. 3. n. 2. Delb. l. c. du. 9. f. 6. à num. 6. Pignat. Tom. 6. consult. 4. à n. 81. plures referens desuper declarationes & decreta S. congreg. apud Reiffenst. h. t. n. 20. his non obstante, quòd apprehendens valvas ostii monasterii monialium non violet clausuram, quia materia de clausura est pœnalis, & ideo restringenda; materia vetò asyli favorabilis, & ideo amplianda, ut jam dictum. Secundò idem dicendum de eo, qui parietem exteriorem Ecclesiæ tangit vel amplectitur; adhæret enim & is sacro loco, & hi parietes tanquam accessorium sequuntur naturam sui principalis adeoque non minùs censentur facti quàm muri interni, quibus adhærent, suntque non minùs pars Ecclesiæ quàm illi. Et hanc sententiam magis piam & favorabiliorē Ecclesiæ tenent Dian. p. 3. tr. 1. resol. 72. Bonac. de LL. Tom. 2. d. 3. q. 7. p. 4. num. 5. Ricc. in prax. Tom. 3. resol. 560. num. 8. Barb. l. c. Delb. l. c. f. 8. à n. 14. Novarius in sum. Bullar. de immunit. n. 16. Pignat. apud Reiffenst. h. t. n. 20. referens sic declarasse f. congr. in ameriens. 18. Febr. 1632. & in Camerin. 13. Jul. 1638. hisce expressis: adhærens muro Ecclesiæ gaudet immunitate contra Archidiacon. in c. univ. de relig. & venerat. ff. in 6. (quem sequuntur communiter Juristæ) Sarpum. de jure Asyl. c. 4. fol. 41.

3. Tertio existens in tecto Ecclesiæ; cum Ecclesia non minùs quàm quælibet alia domus non solum solo, sed etiam ex tecto ejusque superficie constet. Barbos. l. c. n. 18. Laym. l. c. c. 3. n. 3. Fagund. in præcep. Eccl. p. 2. l. 4. c. 4. Suar. de relig. l. 3. c. 9. n. 8. Dian. l. c. resol. 73. Sperell. Decis. 63. n. 9. Delb. cit. f. 6. à n. 9. qui tres posteriores id ipsum extendunt ad tectum palatii Episcopalis, monasterii, hospitalis, & cujuscunque loci pii.

4. Quarto confugiens ad scalas seu gradus Ecclesiæ; quia & hi spectant ad Ecclesiam, & cum ei adhæreant, reputantur religiosæ. Barb. de jur. Eccl. l. 2. c. 3. n. 66. Farin. in append. num. 280. ex declarat. S. Cong. Dian. p. 6. tr. 1. resol. 1. Tusch. v. Ecclesia. concl. 10. n. 5. Novarius l. c. n. 50. Delb. l. c. n. 11. secus tamen dicendum inquit, cum Farin. l. c. 281. si scalæ pertinent ad viam publicam.

Quinto confugiens ad campanilia, non tantum conjuncta Ecclesiæ; ut sentiunt omnes, sed & disjuncta, ut Novar. l. c. n. 26. Delben. n. 12. cum ibidem adsint campanæ oleo sancto consecratæ, exercenturque ibidem opera pia, dum in honorem compulstantur campanæ, unde turris vulgo dicitur sacra.

*Quest. 1012. an & ad quantum spatium immunitate asyli gaudeant con-
finia Ecclesiæ.*

1. Resp. gaudent ea ad spatium extra illam 40. passuum, dum Ecclesia est major seu cathedralis; ad 30. verò dum Ecclesia est minor. uti juxta can. antiquius. can. quisque. can. definit. caus. 17. q. 4. & l. presentis §. ex his, c. de his qui ad Eccl. confug. tradunt Suar. l. c. l. 3. c. 9. num. 8. Tusch. l. c. concl. 9. & 19. Covar. l. c. c. 20. Germon. de sacr. immunit. l. 3. c. 16. n. 38. Farin. l. c. c. 18. num. 284. & alii apud Delb. l. c. f. 8. singulo passu continente quinque pedes & quolibet pedes 15. digitos, ut cum gl. in cit. c. antiquius. v. passus. Tusch. concl. 59. n. 2. Farin. n. 286. Delb. l. c. à n. 3. & computando distos passus ab ostio vel muro Ecclesiæ. ita tamen ut si Ecclesia habeat sibi conjunctum & contiguum cæmeterium, numerandi à cæmeterio Delb. n. 5. Tusch. l. c. concl. 9. n. 3. Decian. tr. crim. l. 6. c. 25. n. 9. quatenus docent, quòd Ecclesia privilegio immunitatis gaudeat & c. etiamsi illius circuitus ejusque territorium extendat se ultra passus 40.

2. Verùm restringenda hæc doctrinæ primò, ut non procedat nisi in Ecclesiis sitis extra muros civitatis seu castelli, ut Arg. quis quis 17. q. 4. gl. in cit. can. antiquius. v. passus. Tusch. cit. concl. 9. n. 5. Suar. cit. c. 8. n. 3. Fagn. in c. Ecclesia. h. t. n. 17. Farin. l. c. c. 18. n. 293. Germon. l. c. n. 40. Ambrosin. l. c. c. 10. n. 4. Delb. cit. f. 8. n. 6. citatis aliis ex ea etiam ratione, quòd in talibus Ecclesiis & capellis sitis intra muros oppidorum propter angustias loci regulariter ista extensio ad 40. vel 30. passus observari nequeat, ne aliàs immunitas quandoque absorberet totum castellum, illudque totum gauderet jure asyli. Quæ tamen ratio quia locum non habet in Ecclesiis & capellis sitis intra muros civitatum & oppidorum eo eorum amplitudinem, deque iis cit. can. quisquis mentionem nullam facit, hæc Ecclesiæ & Capellæ intra muros sitæ æquè fruuntur jure asyli in circuitu dictorum passuum, ac existentes in pagis aut aperto campo. atque ita docent Covar. l. 2. var. c. 20. n. 5. Dian. p. 6. tr. resol. 2. peregrin. de immunit. c. 4. n. 33. quos sequitur Reiffenst. h. t. n. 22. & apud hunc Pignatelli Tom. 6. consult. 6. n. 87. referens declarat. f. cong. in Narniensis 17. Julii 1663, ubi: *captus in platea Ecclesiæ Cathedralis gaudet de immunitate.* Cathedrales autem communiter existant in civitatibus muro cinctis.

2. Secundò, ut procedat in eo, qui jam ad Ecclesiam confugit, ex ea progreditur ad 40. vel 30. passus (& quidem non nisi necessitatis naturalis gratià ad ventrem exonerandum; ita etiam, ut si ad hunc naturæ usum intra 40. passus locus opportunus non reperiat ultra 40. passus progressus, finita necessitate statim ad Ecclesiam regressus.

regressurus fruatur adhuc ultra 40. passus alylo, ut AA. mox citandi (non verò procedat in eo, qui tendit ad Ecclesiam, & necdum in eo receptus fuit, ita juxta c. *definitio* 17. q. 4. ubi dicitur: *qui Ecclesias petunt per omnia locum est eis in 30. passus ab Ecclesia jannis progredi.* probabilius docere videntur Farin. l. c. 18. num. 293. Decian. tr. crim. l. 6. c. 26. num. 6. & alii, quos citat & sequitur Delb. cir. f. 8. n. 7. Item Haunold, de jure & just. Tom. 6. n. 152. Contrarium tamen (nimirum etiam tendentes primò ad Ecclesiam intra dictum spatium frui alylo eò quod can. *sicut antiquitus* varique s. Cong. decreta apud Fagn. loquantur indistinctè, seu pariter decernant alylum servandum intra spatium 40. vel 30. passuum ab Ecclesia) tenent Tusch. v. *immunitas*. concl. 59. n. 1. & seq. Dian. p. 6. tr. 1. *resolut.* 2. Fagn. in c. Ecclesiæ h. t. n. 17. Reiffenst. h. t. n. 35.

3. Tertio, ut procedat in locis, in quibus adhuc viget jus alyli in spatio 40. vel 30. passuum, secus ubi id ipsum consuetudine abrogatum est, esse verò hodie id sublatum consuetudine contraria tenent Suar. l. c. l. 3. c. 9. num. 8. Nav. man. c. 25. n. 18. Covar. l. c. Clar. §. *præd. crimi.* 9. 30. n. 1. Laym. l. 4. tr. 9. c. 3. num. 2. Haunol. l. c. Wiestn. de jure. alylor. p. 2. a. 1. num. 20. Gavant. in addit. ad man. Episc. v. *immunitas* n. 5. & alii, quos plures citat & sequitur Delb. cir. f. 8. num. 10. qui etiam num. 11. citans pro hoc Sanh. Tom. 2. *consl. mor.* l. 6. c. 1. du. 7. Nav. Clar. & c. ait pro dictorum passuum circuitu nunc tali jure gaudere tantum ambitum cæmisterii ab Episcopo deputatum. de quo paulò post. Item, quod non amplius, uti olim, dum nondum erant tot Ecclesiæ, domus parochorum, & Canonico-rum existentes prope Ecclesias in dicto spatio gaudebant jure alyli, eo modo gaudeant, maximè dum talis domus locata vel in emphyteusim concessa laico ut Farin. l. c. c. 16. num. 2. old. 2. *conf.* 53. Peregrin. c. 4. num. 77. Nald. in sum. v. *Eccles.* n. 7. & alii apud Delb. l. c. n. 12. qui tamen addit, non improbabiler & satis pie contrarium tradi à Sanch. l. c. Nav. cir. c. 25. n. 18. Dian. p. 3. tr. 1. *resol.* 71. Lezan. Ambros. Bonac. Decian. & alii, contrarium, nempe non esse sublatum, saltem universaliter, cum Fagn. l. c. n. 20. defendit Reiffenst. h. t. num. 37. eò quod, ut Fagn. S. Congregatio, etiam post tempora Covarruvæ & Clari, declaraverit & decreverit, immunitatem in dicto spatio indistinctè servari. Illud verum, talem consuetudinem non præsumi; cum sit facti, adeoque debere probari; & ubi de tali in contrarium consuetudine legitime præscripta non constar, Judices Ecclesiasticos semper posse ac debere jus illud alyli omnimodè manutene-re, ac malefactores pro vitibus defendere, relinquendo potestari sæculari onus talem consuetudinem probandi, si quando vi illius extraditionem præterdit Reiffenst. num. 38.

Quæst. 1013. an & qualiter immunitate alyli gaudeant privata oratoria, monasteria, hospitalia?

I. Resp. ad primùm: Oratoria & capellæ auctoritate Episcopi erecta vel deputata, non R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

attendendo, an sint in via publica, an in ædibus privatorum, secundum dicta gaudent immunitate alyli. secus est de erectis privatâ auctoritate, ut sunt quarundam confraternitatum, vel etiam erecta in privatorum ædibus constituta, etiam sibi de licentia Episcopi legatur missa, ut juxta declarationem s. cong. Episc. in una maceratens. de 17. Novemb. 1617. & s. cong. immunitatis in una perusina de 9. decemb. 1631. Abb. in c. Ecclesia h. t. Clar. l. 5. q. 30. n. 7. Covar. l. c. c. 20. n. 4. Barb. jur. Eccl. l. 2. c. 3. num. 67. Suar. de relig. Tom. 1. l. 3. c. 9. num. 10. Sanch. de mat. l. 9. d. 15. num. 39. Filliuc. tr. 15. c. 6. q. 5. num. 150. & alii, quos citat & sequitur Delb. cir. c. 16. du. 9. f. 12. num. 1. cx ea ratione, quod quæ privata auctoritate eriguntur, privata auctoritate rursus ad usum profanos converti possint juxta c. *adhac. de relig. domib.*

2. Resp. ad secundum: competit jus alyli omnibus monasteriis, conventibus, domibus & habitationibus religiosorum Fagn. in c. Ecclesia h. t. num. 28. Barb. l. c. num. 72. Laym. l. c. c. 3. num. 9. Delb. l. c. f. 11. num. 1. Reiff. h. t. n. 45. cum communi Arg. can. *quisquis* 17. q. 4. & l. *omnia privilegia* c. de Episc. & Cler. Veniuntque nomine monasterii non tantum interiora illius claustra, cellæ, habitacula, sed etiam horti, aræ, officinæ, domus familiarium, imò & stabula animalium; cum quæ religiosis adherent, religiosa sint l. 43. ff. de R. V. ac ita docent Barb. l. c. Sanch. l. c. num. 41. Castrop. Tom. 2. tr. 11. *disp. unic.* p. 6. num. 18. Dian. l. c. *resol.* 6. Rodriq. Tom. 2. *regul.* q. 75. a. 3. Portel. in *dub. regul.* v. *Ecclesia immunit.* Fatin. l. c. c. 17. num. 268. Dejb. l. c. prout patet ex Bulla Gregor. IV. *cum aliis.* & l. *pateant.* c. de his qui ad Eccles. *confug.* & colligitur ex c. 2. de *consuetud. can. frater. can. minor.* 17. q. 4. juxta probabiliorem tamen, quam contra Rodriq. Dian. LL. *cit. tuentur.* Barb. l. c. num. 37. & seq. Delb. l. c. num. 3. hæc non extenduntur ad Grangias religiosorum, quæ sunt parvæ domus velutique spatia eorum & membra monasterii ejus potestati & superioris illius jurisdictioni subjecta, uti etiam tenet Reiffens. num. 46. & Delb. l. c. num. 4. cum Barbos. num. 74. & 75. Satis sibi porbabile dicat Villas seu domus, quas à monasterio separatas religiosi causâ recreationis vel œconomix aut hospitibus excipiendis habent, non frui immunitate alyli, ex ea ratione, ut Reiffenst. quod hæc loca nullâ ratione sint religiosa; cum nec religiosis locis adherent, nec auctoritate Episcopi constituta. Exteriorem quoque monasterii ambitum (quamvis secus sit de ambitu Ecclesiæ religiosorum) per passus 30. non frui immunitate alyli; eò quod jura non meminerint quæ ad hoc monasteriorum; sed solarum Ecclesiarum. asserit Reiffenst. *cit. n.* 46. in fine.

3. Resp. ad tertium: jus alyli competit universaliter omnibus locis piis, ad caritatis, misericordix, religionis opera, aliumve pium usum auctoritate Episcopi constitutis, utpote eo ipso religiosis, ac propterea gaudentibus omnibus privilegiis, quibus Ecclesiæ juxta l. *omnia.* c. de SS. Eccles. qualia sunt Xenodochia pro pauperibus, peregrinis, nosocomia pro infirmis; orphanotrophia pro educandis pueris orphanis, hospitalia pro senibus & debilibus. ita Arg. c. *ad hæc de relig.*

Zzzz 2

relig. domib. can. ligna. dist. 1. de consecrat. can. definit. 17. q. 4. docent. Abb. in c. Ecclesia. h. t. num. 6. Fagn. ibid. num. 17. Laym. l. c. Barb. l. c. num. 67. Reiffenst. h. t. num. 47. Tusch. v. Ecclesia. concl. 10. num. 2. Barbos. l. c. Castrop. l. c. num. 17. Laym. l. c. Delb. l. c. f. 10. a. n. 1. citatis plurimis aliis. Extenditurque id probabiliter cum Tusch. Delb. l. c. num. 4. & aliis ad hospitalia autoritate Episcopi erecta, etsi in iis non sit, altare, nec campanile aut Ecclesia, modo ex aliis colligatur esse autoritate Episcopi erecta; quia adhuc loca sint religiosa, etsi non sacra.

Quest. 1014, an & quando cæmeteria gaudeant jure asyli?

R Esp. de iis, dum conjuncta & contigua sunt Ecclesiis eodem jure asyli gaudere cum Ecclesia, habet communis, ut videre est apud Delb. cit. du. 9. f. 9. num. 1. citantem pro hoc ingentem turmam AA. & constat ferè ex dictis supra. cæmeterium quoque ab Ecclesia separatum gaudere hoc jure, quia eo ipso, quod sepulturæ fidelium sit deputatum, præsumitur esse benedictum & autoritate Episcopi constitutum, docent Nav. c. 25. v. cæmeterium. Farin. l. c. c. 27. num. 264. Castrop. l. c. num. 16. Dian. l. c. resol. 6. Germon. de sacror. immun. l. 3. à num. 31. Ritterhus. de jur. asylo. c. 12. Bertach. in repertor. v. cæmeterium. num. 2. Delb. l. c. n. 2. extenditurque hoc jus etiam ad ostium & porticum cæmeterii, ut Idem num. 4. cum Correa in relect. de immun. p. 2. n. 16. & Peregr. c. 4. num. 55. & 56. Item ad cæmeterium, licet non benedictum ab Episcopo, sed ad simplicem sacerdote, ut Idem num. 5. cum eodem Peregrin. Farin. Suar. Ambrosin. & aliis à se citatis. Item ad cæmeterium à nullo benedictum, modò in eo aliquis Christianus sepultus cum officiis Ecclesiasticis & de licentia Episcopi, ut Delb. n. 5. cum citatis ab eo AA. ex qua sepulchrum in dubio præsumitur autoritate Episcopi deputatum, adeoque religiosum in ordine ad gaudendum asylo. Reiffenst. h. t. num. 41. Farin. & Nav. LL. cit. secus est dum constat non intervenisse deputacionem ullam Episcopi.

Quest. 1015, an & qualiter confugientes ad SS. Eucharistiam fruuntur asylo?

I. R Esp. primò rei confugientes ad SS. Eucharistiam, dum ea per plateas ad infirmum deportatur aut reportatur, vel in processione circumfertur, gaudent asylo, non quidem de jure, utpote in quo nihil desuper statutum, sed de consuetudine piè & meritò inducta ex extensa in favorem immunitatis. Abb. in c. Sancti. de celebrat. missar. Sylv. v. immunitas. num. 1. Laym. l. c. n. 4. Barb. l. c. num. 69. Delb. l. c. f. 16. num. 2. Reiffenst. h. t. num. 48. cum communi juxta declarat. S. cong. in melinens. de 28. may 1626. quàm ex Pign. Tom. 6. consul. 4. num. 89. recitat Reiffenst. l. c. contra Covar. l. c. num. 6. citantem pro se Gl. in can. questum. caus. 13. q. 1. v. in patibulis. quem tamen dubium manere ait Delb. ex ea ratione; quod corpus Christi sit longè dignius omni loco sacro & religioso, quin & præsentia Christi videatur pro tempore facere locum sacrum & religiosum; ut Reiffenst. ex Delb. dum is ait: ubi Papa ibi Roma: cur non ubi præsens corpus Christi,

ibi etiam locus sacer & religiosus. ad hæc indecens videatur, illos de jure civili gaudere asylo, qui ad statuas principum confugiunt, l. unic. c. de his. qui ad stat. princip. confug. & illos tali jure privari, quia ad Regem Regum corporaliter præsentem confugiunt.

2. Resp. secundò extendendo & limitando priorem responcionem, ita ut gaudeant asylo, etiam si vestem sacerdotis deportantis illam, aut etiam hastam baldachini, sub quo deportatur, non tangat, sed solum associet se processioni, misceaturque se illis, qui SSnum comitantur; ut juxta declarat. S. Congreg. de 30. Septemb. 1636. apud Pignat. l. c. num. 90. dicentis; associans se processioni SS. Sacramenti, gaudet immunitate; tradunt Barb. l. c. Dian. p. 1. tr. 1. resol. 28. Delb. l. c. Reiffenst. num. 49. ex ea ratione, quod associati illi ac omnes comitantes cum sacerdote constituunt Ecclesiam quandam animatam; unde in medio eorum existens non minùs securus est, quàm existens in Ecclesia materiali. limitando verò, ita, ut non gaudeat asylo reus, ad quem in carcere constitutum deportatur Sanctissimum; etsi vestes sacerdotis deportantis illud teneat, ut habet consuetudo Reiffenst. num. 5. & teste Covar. apud illum omnes. neque communicans intra os habens & retinens Eucharistiam; cum is eam non retineat & deportet in se, ut alii in eo illam venerentur, sed ut ipso eam reficiatur. Delb. cit. f. 16. num. 5. Reiffenst. l. c. cum Farin. l. c. num. 276. ex commun. DD. neque confugiens ad sacerdotem deportantem S. oleum ad infirmum; cum tali neque jura, neque paritas rationis, neque consuetudo faveant. multoque minus confugiens ad solum sacerdotem, vel etiam Episcopum eum apprehendendo, aut etiam reliquias SS. dum ea per plateas processionaliter deportantur Delb. l. c. num. 14. quàmvis addat contrarium satis piè docti à Correa in relect. ad c. inter alia. h. t. p. 2. num. 25. quod probabiliter quoque dicit Delb. l. c. num. 15. à Locatello testante sic definitum coram vicario Urbis anno 1614. de sacerdote induto stola extra Ecclesiam prælatà cruce tendente v. g. ad defunctum efferendum, ut is nequeat à satellitibus etiam de licentia Episcopi capi, quod consequenter magis dicendum de sacerdote induto stola deferente, oleum & potiore jure de sacerdote in habitu sacerdotali ad divina ministranda officiaque ecclesiastica exequenda, & vel sic Christum repræsentante ejusque vices gerente procedit dicendum. Vide Delb. à num. 16. sed neque ad imaginem S. crucis extra loca sacra in viis publicis erectam confugientes fruuntur asylo, non obstantibus canonibus 29. & 30. desumptis ex synodo claromontan. ubi Urb. 11. hoc privilegium asyli concessit, quia hi canones non sunt in jus relati nec recepti. Wiestn. h. t. n. 69.

Quest. 1016, an & qualiter jure asyli gaudeant palatia Episcoporum, Cardinalium & principum secularium & Oratorum.

I. R Esp. ad primum: Palatium seu domus Episcopi gaudet asylo ob reverentiam & decorem dignitatis Episcopalis. Covar. l. 2. var. c. 20. testans de communi. Fagn. in c. Ecclesia. h. t. num. 29. Laym. l. 4. tr. 9. c. 3. num. 3. Barb. l. c. num. 70. Delb. l. c. f. 14. num. 1. juxta clarum

clarum textum *Can. id constituimus*. 17. q. 4. & Gi. *ibidem* V. vel domo. communiiter receptam. Extenditurque hoc ipsum primò, etiam si Episcopus absens vel mortuus sit, modò locatum alteri non sit. *Farin. in append. de immunit. c. 17. num. 173.* Delb. *l. c. num. 2.* remittens ad *Laym. l. c. Azor. Tom. 2. L. 9. c. 8.* Navar. *in sum. Bullar. Tit. de immunit. n. 10.* Extenditur secundò, etiam si palatium Episcopi situm extra 40. passus ab Ecclesia, non obstantibus Canonibus antiquis, utpote ediris temporibus antiquis, quando Clerici habitabant simul cum Episcopo prope Ecclesiam majorem, saltem, si Capellam vel Oratorium (ut regulariter habere solet) habeat. ita docent *Abb. in c. Ecclesia. num. 9.* *Fagn. num. 29.* *Ambros. l. c. c. 10. n. 7.* *Germon. l. c. L. 3. c. 16. n. 45.* (idem dicens de utroque, si Episcopus habeat duo palatia) *Azor. l. c. g. 5.* *Castrop. l. c. n. 20.* *Barbos. l. c. n. 70.* *Fagund. præc. 2. L. 4. c. 4. n. 60.* *Villadiego in posit. c. 3. n. 201.* idem dicens de palatio Oratorium) *Gambacur. de immunit. L. 4. c. 3. n. 7.* *Dian. p. 1. tr. 1. resol. 27.* *Bellet. p. 1. c. 13. tit. de fav. deroic. reali. §. 4. num. 35.* & plurimi alii, quos citat & sequitur *Delb. cit. f. 14. à num. 7.* contra citatos ab eodem *Innocentium, Turrecrem. Oldrad. Pucell. Decian. Clarum. Bobadil. Piaces. p. 2. c. 4. a. 8. num. 2.* & alios. Extenditur tertio juxta probabilia, etsi Capellam seu Oratorium non habeat: ex quò etiam aliàs sacrum dicitur & religiosum. siquidem hoc privilegium, utpote per se favoreabile & pium ac indefinitè sine limitatione concessum palatio Episcopi per *cit. can. id statuimus*, non restringendum ad palatia Capellæ & Oratorio instructa, ed quòd, ut dictum, competat illis non intuitu officiorum divinatorum in eo peragendorum, vel connexionis cum Ecclesia, sed ob reverentiam & decorem dignitatis Episcopalis, & ita contra *Ambrosin.* & alios quosdam docent *Tusch. V. Ecclesia. concl. 9. num. 11.* *Suar. de relig. Tom. 1. c. 9. num. 9.* *Farin. l. c. num. 270.* *Dian. l. c. Ciartin. Discept. for. c. 116. num. 4.* *Castrop. l. c. num. 22.* *Delb. l. c. num. 12.* aliique ab eo citati. Extenditur quartò, uti *Farin. l. c. num. 270.* *Dian. p. 6. tr. 1. resol. 4.* apud *Delb.* ad palatia & domus, quæ Episcopus inhabitat, dum in visitatione diocesis transcurrit, quod tamen satis probabiliter, saltem de consuetudine à *Bereg. de immunit. c. 4. 79.* negati, ait *Delb. l. c. num. 12.* Extenditur quinto, ita ut nomine Episcopalis palatii veniat etiam seminarium Episcopale, & quidem, etiam si reus ad illud confugiat per aliam portam, quàm quâ ingrediuntur seminaristæ. *Delb. l. c. num. 19.* cum *Genevensi in praxi c. 22. num. 10.* Econtra non extenditur primò juxta probabiliorum (quam tenent *Ciartin. l. c. L. 1. c. 10. num. 10.* *Pereg. de immunit. c. 4. num. 75.* de *Marin. quotidian. resol. c. 180. num. 12.* *Delb. cit. f. 14. n. 20.* contrarium non improbabiler sentiente *Dian. p. 4. tr. 1. resol. 40.* in hærente ei rationi, quòd jura generaliter concedant hoc privilegium omni palatio Episcopi, ad palatia, quæ habent Episcopi extra suam diocesis; utpote extra quam nullam habent auctoritatem, nec pontificalia exercere possunt; neque etiam hæc palatia eorum videantur locus sacer & religiosus, ut *Delb.* Non extenditur secundò ad palatia Episcoporum titularium, ut cum *Ciartin. l. c.* *Delb. num. 22.* quamvis addat contrarium non improbabiler doceti à *Dian. p. 6. 1. resol. 5.* præsertim cum *S. Cong. immunitatis*

pluribus decreverit, etiam familiam laicam Episcopi titularis gaudere privilegio fori.

2. Resp. Ad secundum: tamen si jus asyli, non quidem de jure, utpote in quo nihil de hoc; sed ex privilegio aut consuetudine competere Cardinalium, etiam non Episcoporum palatiis tam intra, quàm extra urbem existentibus propter eorundem prærogativam dignitatis principalis in Ecclesia, doceant *Nav. in man. c. 25. num. 18.* *Clat. pract. crim. §. fin. q. 30. vers. item adde Sanch. in opusc. Tom. 2. L. 6. c. 1. du. 7. num. 2.* *Barbos. jur. Eccles. L. 1. c. 4. num. 8.* *Mantred. tit. de Cardinal. decis. 147. c. 8. privil. 14.* *Delb. l. c. f. 15. num. 1.* consuetudinem tamen talem si quæ viguit, modò constitutionibus *Greg. XIII. & Sixti V.* saltem quò ad urbem, sublatam esse, testantur *Farin. l. c. num. 274.* *Duard in Bullam cœnæ. l. c. can. 15. q. 16. n. 12.* *Zech. de rep. Christ. tit. 3. de Cardin. n. 9. privil. 9.* *Pax. Jordan. Lucubr. L. 11. tit. 3. n. 206.* *Tusch. l. c. concl. 9. n. 12.* *Lezan. V. immunit. num. 2.* uti etiam privilegii, quo eorum dignitas honoratè fuit, à multis annis in urbe habitam non fuisse rationem, sed ex dictis palatiis reos ad carceres & supplicia abtractos testantur *Pax Jord. l. c.* *Guazzin. de defens. reorum. c. 36. n. 36.* idque, ne ob locorum gaudentium jure asyli in urbe frequentiam delinquentes punitioni promeritè ferè passim subtraherentur, non sine gravi jactura boni communis. Dixi: saltem quò ad urbem: nam illi privilegio extra urbem, maxime extra statum Ecclesiasticum existentibus eorum palatiis memoratis Pontificum constitutionibus, aut etiam consuetudine derogatum non esse, non improbabiler, ut ait *Delb. l. c. n. 3.* tenent *Pereg. l. c. c. 4. n. 75.* *Dian. p. 1. tr. 1. resol. 37.* *Barb. l. c. c. 3. n. 31.* de *Martin. l. c. c. 180. n. 12.* Porro si reo ducto ad supplicium occurrens Cardinalis, eique imponi faciat galerum seu pileum suum, liberandum eum à morte cum *Baldo* docent communiter *Juristæ in L. additos e. de appell. quos refert Clarus in pract. crim. L. 5. §. fin. q. 98. n. 5.* nisi forte, ut ipse *Clarus*, crimen, ob quod condemnatus, foret ex atrocissimis. ac ita quoque sentiunt *Lancell. in templo Jud. L. 2. c. 2. de Card. §. 3. n. 30.* *Germon. l. c. L. 3. c. 6. n. 52.* (quamvis is id restringat ad Cardinalem casu, & non ex professò occurrentem reo) *Cuchus instit. can. L. 2. tit. 4. n. 85.* aliique apud *Delb. l. c. n. 5.* *Clarus l. c. g. 95. n. 5.* testentur, id praticari se nunquam vidisse.

3. Resp. Ad tertium, tamen si palatia Imperatoris, Regum, supremorum Principum gaudeant immunitate civili asyli ut supponunt *Nav. c. 25. n. 28.* *Sanch. conf. mor. L. 6. c. 1. du. 7.* ea tamen immunitas solum civilis est & politica, non sacra; quia introducta, non auctoritate ecclesiastica Pontificis, sed politica; neque ob cultum divinum seu divinæ Majestatis, ejusque supremo numini locorum dicatorem reverentiam, sed in honorem supremi Principis, unde etiam, si violetur, non incurritur censura, utpote quæ non imposta nisi ob violationem immunitatis loci sacri. Idem dicendum de supremorum Principum statuis, si adhuc hodie vigeret alicubi hæc immunitas confugientium ad illas. *Delb. l. c. f. 17. n. 2.* *Wielkn. h. t. n. 74.* Et licet immunitas asyli expressè constituta confugientibus ad illas jure civili. *L. unic. c. de his, qui stat. confug. L. 1. c. de his ad Eccl. confug. L. capite. §. ad statuas ff. de pœnis.* & ita docuerunt *Hofst. Anchar. Jo. and. in c. Ecclesie h. t.* modò tamen talem immunitatem consuetudine propter abusu

sus inde ortos sublatam esse, testantur Tusch. l. c. concl. 9. n. 4. Decian. tr. crim. l. 6. c. 2. n. 5. Farin. l. c. num. 278. apud Delb. l. c. quin etiam olim statuas illas praesidio iis solum fuisse, qui injuria oppressi se illuc conferebant, sceleratos autem, & qui injuriam intulissent aliis, inde vi ad carceres & supplicia abstrahi potuisse à ministris justitiae, testantur apud Pet. Barb. in cit. l. unic. num. 1. imò Farin. l. c. 279. cum Claro cit. q. 30. n. 27. apud Wiestn. l. c. illam immunitatem nunquam in usum deductam fuisse.

4. Resp. Ad quartum: multò minùs domus Oratorum seu Legatorum supremorum principum gaudere immunitate asyli sacra, quia loca sacra non sunt, sed ad summum solum civilia, & quidem non nisi extra urbem, asserit Delb. cit. f. 15. n. 3. neque plus dicere videntur Barb. de jur. Eccl. Tom. 2. c. 3. n. 5. dum apud Delb. l. c. n. 14. astruunt, palatia Legatorum Pontificis apud Imperatorem & Reges, si non de jure, saltem de consuetudine, etiam post Gregorianam constitutionem introducã, gaudere immunitate.

Quaest. 1017. Quinam gaudeant immunitate asyli & in specie, num etiam infideles, haeretici, excommunicati, interdicti &c.

1. Resp. Primò in genere omnes cujuscunque aetatis, status, sexus, conditionis, quantum est de se, nisi crimen sit exceptum, gaudent hac immunitate, ut juxta c. inter alia. h. t. c. frater. c. minor. c. definitur. c. id constitutum. c. si quis contumax. 17. q. 4. & Bullam Greg. IV. cum aliis, cum communi & certa tradunt Gutt. pract. qq. civil. l. 3. q. 1. n. 7. Delb. c. 16. du. 10. f. 1. num. 1. cum jura ibi generaliter & indistinctè loquuntur juxta L. de pretio. ff. de publician. in rem actio.

2. Resp. Secundò in specie: immunitate hac gaudent primò judaei, pagani, gentiles aliique infideles quocunque nomine veniant. Ita probabiliter docent Glor. Host. Innoc. Card. in c. inter alia. h. t. Sylvester V. immun. 3. n. 2. Felin. in c. judaei. de jud. n. 2. Faber. in L. 2. c. de his, qui ad Eccl. conf. Barb. jur. Eccl. l. 2. c. 3. n. 44. (ubi testatur sic declarasse S. Cong. immunit. Febr. 1631.) Gavant. in enchir. Episc. V. immunitas. num. 9. Azor. p. 2. l. 9. c. 2. q. 9. & plurimi alii apud Delb. c. 16. du. 10. f. 4. num. 7. quibus licet ipse contentiat, addit tamen num. 11. fateri se oppositum, praesertim, si infideles contra fideles flagitia commiserint, satis probabiliter teneri à Covar. 2. var. c. 20. num. 11. Clarò. §. fin. q. 30. num. 17. Decian. tr. crim. l. 6. c. 26. num. 2. Ambros. de immun. c. 8. num. 8. Cutell. eod. l. 1. q. 22. & aliis à se citatis, qui omnes absolute negant, Judaeum & quemcunque alium gaudere immunitate ex sequentibus rationibus: quòd in lege veteri pro solis Judaeis, & non pro gentibus sint constitutae civitates refugii. ad quod tamen bene respondetur, Legem Moisaicam quòd ad hoc, utpote spectans ad judicialia, cessasse. quòd L. 1. c. de his, qui ad Eccl. conf. excluduntur ab hoc privilegio gentiles, quamvis Baptismum petant, quia praesumuntur eum simulatè petere. ad quod tamen dicunt Abb. in c. inter alia h. t. num. 6. Correa l. c. p. 3. c. 3. Delb. num. 19. hunc esse textum juris civilis pontificio contrarium, ideòque non observandum, & leges civiles, quoties de Ecclesiis, Ecclesiasticisque nominatim disponunt, esse irritas & non attendendas, melius autem ex ea ratione, quòd SS. Canones statuantes

immunitatem asyli, etsi indistinctè, censeantur tamen loqui juxta materiam subjectam habilem de personis nimirum sub jurisdictione Ecclesiae constitutis; cum eade his, qui foris sunt, non curet, juxta Apostolum ad Corinth. 1. c. 5. atque ita, etsi dictum privilegium tanquam favorabile sit latae interpretationis, extendendum tamen non sit ultra terminos habiles & capacitatem subjectorum, ita Delb. à n. 21. ac denique, quòd conveniens non sit, ab Ecclesia defendendum, qui ejus gremio, tutelae, ac fidei se committere prorsus non vult, ideòque nullo ejus privilegio frui mereatur, ut D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 6. & q. 12. a. 2. Unde jam etiam plures AA. contra Fagn. in c. inter alia. h. t. n. 60. & alios, absolute negantes gentilibus hoc privilegium, sive converti velint, sive non, distinguunt ita, ut fruuntur asylo, si confugientes ad Ecclesiam pro se habeant praesumptionem, quòd serio desiderent converti ad fidem Christianam (qualem praesumptionem pro illis stare censet Farin. in appendice. c. 5. n. 3. Delb. cit. f. 4. n. 34. aliique ab eo citati, si ante admissum crimen ejusque diffamationem, aut susceptam fugam, animum prorsus ad conversionem ostenderint, secus, si prius post diffamationem sui & timorem poenae Baptismum petant, & conversionis animum ostendant, quae praesumptio num sit juris & de jure, contra quam non admittitur probatio, non convenit inter AA. pluribus id affirmantibus probabilius, ut videre est apud Delb. à n. 35. cum aequum & pietati conveniens sit, defendi ab Ecclesia, qui ejus leges & fidem serio amplectuntur. & ita tenent Tusch. l. c. concl. 10. n. 28. Gutt. pract. qq. civil. l. 1. q. 7. n. 51. Castrop. tr. 11. d. unic. p. 7. n. 8. Laym. l. c. c. 3. n. 12. Azor. p. 2. l. 9. c. 9. q. 9. Suar. de relig. Tom. 1. c. 10. n. 10. Filiuc. tr. 15. c. 6. q. 5. n. 151.

3. Resp. Tertio: haeretici (idem dicendum de schismaticis, apostatis, haereticorum fautoribus & receptatoribus, si sint sine errore intellectus, ut cum Dian. l. c. resol. 29. Delb. cit. f. 4. n. 6. in fine) etiam manentes haeretici, dum non ob crimen haereticum, quòd alias exceptum est, sed ob aliud delictum confugiunt ad Ecclesiam aliumve locum sacrum, fruuntur asylo; cum in eo casu crimen haereticum habeat per accidens, & quasi materialiter; lex vero privans haeticum immunitate Ecclesiastica, intelligi debeat formaliter, ut nimirum privet haeticum, quatenus haeticus est, non vero quatenus fur est aut homicida. ita probabilius sentiunt Sylv. l. c. n. 2. Suar. tr. 1. de relig. c. 1. num. 13. Farin. l. c. c. 13. n. 170. Castrop. n. 4. Bonac. d. 3. de. 1. decal. praecep. q. 7. §. 3. Cortea. l. c. p. 3. n. 3. Haunol. de 7. & 7. Tom. 6. tr. 1. num. 161. Gutt. l. c. l. 3. q. 1. n. 26. Pith. h. t. n. 40. Reiffenst. n. 80. Delb. cit. c. à num. 1. citatis aliis contra Boerium decis. 110. num. 6. Nav. man. c. 25. n. 20. Clarum. §. fin. q. 30. Tanner. 2. 2. d. 5. q. 8. du. 1. num. 16. Oldr. conf. 54. Ambrosio. Cutell. & alios apud Delb. l. c. Verum hanc sententiam, etsi passim practicetur in Germania, in locis tamen, ubi est S. inquisitionis officium, vix prodesset hoc ipso, quòd haeretici ibidem non tolerentur; sed, ubi sciuntur, etiam ex loco sacro extrahantur, & postquam legitime extraacti, utique possint deinceps etiam ob alia delicta extra locum sacrum condemnari & puniri, bene dicit Reiffenst. h. t. n. 81.

4. Resp. Quarto: gaudent asylo Laici Catholici excommunicati, etiam denunciati, & publici Clericorum percussores, uti & nominatim interdicti & suspensi; siquidem censura Ecclesiastica, etiam

etiam excommunicatio, non habent alios effectus odiosos & pœnales, quàm in jure expressi, inter quos non est ista privatio asyli. probaturque id ipsum à pari, dum Clericus excommunicatus non privatur privilegio fori & canonis, neque Ecclesia interdicta privilegio immunitatis. & ita docent cum communi Sylv. *V. immunitas*, 3. q. 3. Dian. p. 1. tr. 1. *resol.* 34. Alterius de *conf.* Tom. 1. L. 1. c. 5. col. 3. Tusch. l. c. n. 26. Clar. l. c. num. 18. Covar. *Var. L.* 2. c. 20. n. 11. Laym. l. c. c. 3. n. 10. Delb. c. 16. du. 10. f. 3. à n. 1. Reiffenst. n. 55. Wiestn. h. t. n. 78. contra Felin in c. 2. de *except.* n. 5. his non obstantibus, quòd excommunicati, cæterique censurati tanquam Rebelles Ecclesiæ indigni videantur, qui ab ea defendantur: nam etsi indigni quòd ad personam & delictum, ob quòd censuram incurrerunt, non tamen indigni, si Ecclesiæ pietas & loci DEO dicati sanctitas spectetur, ut cum Delb. l. c. n. 5. Wiestn. l. c. Neque etiam (quòd specialiter concernit interdictos) quòd hi priventur ingressu Ecclesiæ, & consequenter asylo concessio confugientibus ad eam; nam licet arceantur ab ingressu Ecclesiæ formali, nimirum ab ingressu illius in ordine ad audienda & participanda cum cæteris fidelibus officia divina, non tamen ab ingressu materiali, ut nimirum in illa gaudeant immunitate locali asyli, quin & censuras excommunicationis & interdicti non violant, adeoque non peccant, qui ad evitandam gravem corporalem pœnam confugiunt eo tempore ad Ecclesiam, quo in ea fideles congregati divina officia celebrant; cum ad censuras cum tanto periculo observandas non teneantur, sicutque censura illa non mortales, sed medicinales, ut docent Bonac. Tom. 2. d. 3. q. 7. p. 5. n. 2. Castrop. *cit.* p. 7. n. 21. Delb. l. c. f. 2. à n. 2. Wiestn. l. c. Reiffenst. h. t. n. 56. ac denique gratis dato, dictas censuras & prohibitionem, etiam ab ingressu materiali Ecclesiæ arcere, non tamen hinc sequitur, interdictos universaliter privati asylo, poterunt siquidem abstinendo ab ingressu Ecclesiæ, adhuc confugere ad ambitum illius; item ad monasterium, hospitale, domum Episcopi; cum hæc omnia in odiosis non veniant nomine Ecclesiæ. Arg. c. in *penis*, de *reg. jur.* in 6. Reiffenst. l. c. ubi etiam ait, idem esse de excommunicato, modò is in illis locis pro possibili à communione ab aliis separatam se retineat.

Quest. 1018. An & qualiter Clerici & religiosi gaudeant asylo?

1. Resp. Ad primum primò: supponendo tantum certum, Clericos vi privilegii fori iis competentis tutos esse etiam extra loca sacra, seu ubique contra Judices sæculares. quin etiam, si ob defectum alicujus requisiti ad gaudendum privilegio fori, eo amisso, subdantur jurisdictione sæculari, habeanturque ut Laici, non privati tamen privilegio locali locorum factorum, utpote jure communi generaliter concessio etiam Laicis. & ita cum communi sentiunt, Nav. *cit.* c. 25. num. 12. Bonac. de *immun.* q. 7. §. 3. num. 6. Farin. in *append.* c. 2. num. 34. Germon. de *sacror. immun.* L. 3. c. 26. à num. 90. Genuens. in *pr. c.* 22. num. 11. Gambacur. L. 4. c. 11. aliique citati à Delb. *cit.* du. 10. f. 11. à num. 1. iis in hærente contra quosdam apud Farin. num. 36. his suppositis.

2. Resp. Ad primum secundò: num etiam Clerici sæculares defendantur privilegio asyli contra Judices Ecclesiasticos valde controversatur inter DD. Affirmativam tenent Fagn. in c. inter *alia*, b.

1. à n. 78. Barb. à n. 1. citans quam plures Tusch. l. c. *concl.* 9. n. 17. Clar. §. *fin.* q. 30. n. 16. Guttier. *pract. qq. civit.* L. 3. q. 3. n. 1. qui ait sententiam hanc in puncto juris veriolem, contrariam tamen servari in praxi. Dian. p. 1. tr. 1. *resol.* 24. Pirh. h. t. n. 35. Reiffenst. n. 62. Cenedus in *qq. can. & civil.* q. 24. (qui etiam asserit, quòd Judex Ecclesiasticus extrahens ab Ecclesia reum Clericum sine licentia summi Pontificis, in criminibus non exceptis, incurrat pœnas & censuras latas contra violantes immunitatem Ecclesiasticam) Lotter. de *benefic.* Tom. 1. L. 1. q. 13. n. 113. Salgad. de *prolect. reg.* Tom. 2. p. 2. c. 4. n. 115. Ambros. Gambac. & alii ex sequentibus rationibus; quòd Canonones in materia asyli loquantur universaliter & indistinctè, utendo verbis negativis, ut nemo reum ad Ecclesiam confugientem inde extrahat; quæ comprehendunt omnes existentes in loco sacro, & nullibi Clericos excipiendo, idque etiam nullo facto discrimine, non tantum inter Laicos & Clericos, sed neque inter Judices sæculares & Ecclesiasticos; cum, quòd quisque statuit in alios, ipse eo uri debeat. c. *cum omnes*, de *confir.* etiam Ecclesiæ statuendo jus asyli illud per se seu Judices suos Ecclesiasticos observare debeat. quòd etiam faciunt plures declarationes s. congreg. Cardinalium, quas inducit Pignar. Tom. 6. *consult.* q. 4. n. 101. & inter cæteras hanc: *Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudent immunitate respectu utriusque Judicis*, nempe tam Ecclesiastici, quàm sæcularis. negativam e contra probabiliorem, etsi non communiorem tenent Abbas inter *alia*, h. t. n. 13. Syl. *V. immunitas*, 3. q. 3. Azor. p. 2. L. 9. c. 9. q. 9. Laym. L. 4. tr. 9. c. 3. n. 11. Sanch. L. 6. *consil.* c. 1. du. 8. n. 6. Castrop. l. c. c. 70. à n. 5. Bonac. de *immun.* §. 3. Decian. tr. *crim.* L. 3. c. n. 14. Tanner. 2. 2. d. 9. q. 8. du. 1. n. 16. Delb. c. 16. du. 10. f. 12. n. 1. & seq. Haunol. de 7. & 7. Tom. 6. n. 168. Roderiq. Tom. 2. *reg. qq.* q. 5. n. 4. Wiestn. h. t. n. 95. Reiffenst. n. 57. qui ferè omnes, etiam adversariis id ipsum fatentibus, testantur de praxi Judicum Ecclesiasticorum, Clericos ex Ecclesiis ad carceres abstrahentium, nec deferentium eorum provocacioni ad immunitatem. quam praxin esse potius juris interpretem, quàm correctoriam; cum immunitas adversus solum magistratum sæcularem indulta, jure civili Clericos non tangente, quin de his & adversus Judices Ecclesiasticos nihil statuere valente, juxta c. 10. de *confir.* Jus verò Ecclesiasticum, licet inter confugas & judicum statum expressè non distinguat, ad solos tamen Laicos extendendum, præterquam quòd dicta praxis suadeat, convincere videntur rationes sequentes. nimirum, quòd immunitas asyli non deroget potestati & jurisdictioni Ecclesiasticæ, sicut derogat potestati sæculari, ut patet ex eo, quòd Judex Ecclesiasticus in Clericum sententiam declaratoriam criminis & condemnatoriam ad pœnam ferre possit in ipsa Ecclesia, *can. præceptum*, 2. q. 2. Abb. Delb. Wiestn. *LL. cit.* item ex eo, quòd sicut Principes sæculares jurisdictionem in locis sibi subjectis, ita etiam Prælati Ecclesiastici in locis sibi subjectis, quæ sunt Ecclesiæ & loca sacra, suam jurisdictionem exercere possint. dein quòd sicut immunitas Clericorum personalis non impedit, quòd minùs Clerici puniri possint à Judice Ecclesiastico, ita nec localis; cum hæc illà minor sit. Ac denique quòd si Clerici per Prælatos Ecclesiasticos extrahi nequiverint de Ecclesia, ad quam asyli gratiæ confugerunt, id cederet in speciale Ecclesiæ dedecus & præ-

& præjudicium, cum, dum illi in ædibus Ecclesiæ adlitis & immunitate gaudentibus eorum delicta, etiam delictis laicorum majora, remanent frequenter impunita, quæ tamen ad tollendum scandalum pusillorum publicè puniri plurimum interest. His non obstantibus, quæ in contrarium obmovere solent adversarii, qualia sunt primò, quòd jura *c. inter alia b. t. c. statutus. c. deservit. c. si quis contumax. c. si quis inventus. 17. q. 4.* defendentia reum confugientem ad loca sacra loquantur universaliter, nam loquuntur generaliter comparative ad Judices tantum, dum ab eorum jurisdictione clerici duplici titulo, nempe ratione personæ, & ratione loci confugientes ad Ecclesiam defenduntur, ut id confirmatur, quòd juxta *c. si sententiam, de sent. excom. in 6.* locutio generalis comprehendat solum omnia ejusdem speciei & non etiam diversum, multò minùs oppositum, quales sunt Laici & Clerici: item generalis locutio non includat illos, qui speciali notà digni, ut Clerici, nec eos, qui ob speciales rationes à generali dispositione eximi debent, quales sunt Clerici. Secundo quòd Prælati Ecclesiastici potius defendere debeant immunitatem loci sacri & Clericorum suorum ad illum confugientium, nam per extractionem Clericorum factam per Magistratum Ecclesiasticum neutra harum immunitatum læditur; cum imprimis immunitas illa loco sacro concessa in ordine ad eas tantum extractiones, quæ ei irreverentiam irrogant, quales sunt factæ à Judice Laico, utpote cui nulla competit in illam jurisdictionem; non verò factæ à Judice Ecclesiastico. Item licet Judices Ecclesiastici Clericos defendere debeant adversus jurisdictionem sæcularem, non tamen contra jurisdictionem Ecclesiasticam, contra quam, statu Ecclesiastico assumpto, jus immunitatis, quo priùs fruebantur, amiserunt; ex quo tamen facti non sunt deterioris conditionis, quam ante fuerunt; cum sicut ante clericatum extrahi & puniri poterant à sæcularibus Judicibus, sic post illum extrahi possunt ab Ecclesiasticis, adeoque videtur esse paritas; in hoc autem melior facta sit eorum conditio, quòd facti Clerici contra curiam sæcularem tam intra quam extra Ecclesiam tuti sint. Adhæc extra casum degradationi obnoxium non extrahantur in ordine ad sumendam de iis pœnam capitalem aut sanguinis, sed pœnam solum paternam & medicinalem, ita ferè Wiestn. *b. t. n. 97.* alia levioris momenti deluta, vide apud Delb. *post f. 12. à. n. 10.* De cætero, ut tradit Delb. *l. c. f. 14. à. n. 1.* in quibus casibus eum capere potest Judex sæcularis, si nimirum existat in minoribus tantum, beneficiatus non sit, habitum & tonsuram non deferat, nec Ecclesiæ alicui deserviat, ita immunitate Ecclesiæ gaudet, ut neque à Judice sæculari, neque ab Ecclesiastico inde extrahi possit, quia reputatur ut Laicus, si verò gaudens privilegio fori committat delictum, ob quod deponendus, & Judici sæculari tradendus, à Judice Ecclesiastico extrahi potest, ut Judici sæculari tradatur; quia tale delictum inter excepta esse solet, ita ut cesset in eo immunitas tam personalis, quam localis, secus si delictum ab immunitatis defensione exceptum non est, licet Clericus sit incorrigibilis; tunc enim vel à Judice Ecclesiastico extrahi non debet, vel, si extrahatur, Judici sæculari tradi non potest.

3. Resp. Ad secundum: Religiosi quoque contra proprios Prælatos non gaudent immunitate asyli, quin ab illo extrahi ab illis, & ad perpetuos

carceres detrudi, vel ad tritemes mitti possint. ita docent Sylv. *V. immunitas 3. §. 3. n. 2.* Fagund. *de præcep. Eccl. præc. 2. l. 4. c. 4. num. 52.* Cuetell. *de immunit. Eccl. l. 1. q. 23. §. 25.* Ricc. *p. 3. decis. 172. num. 6.* Delb. *l. c. f. 15. num. 1. §. 6.* Roderiq. *Tom. 2. qq. regul. q. 1. a. 4.* Portel. *in dub. regula. V. Ecclesiæ immunitas.* Reiffenst. *b. t. num. 72.* Wiestn. *b. t. num. 98.* ob eadem rationes, propter quas quantumcunque enormia extra casus exceptos abstrahi non possent ad carceres, contra eos formari processus & ferri sententia, quod est contra praxin & consuetudinem, etiam à summis Pontificibus tacitè confirmatum; cum hi ex appellatione istiusmodi delinquentium quotidie ferè videant, contra illos à superioribus eorum neglecto asylo formari processus, ferri sententiam, ad incarcerationes, aliasque pœnas procedi, & tamen id non reprobant, sed potius approbant & confirmant, quin & commendant specialibus Bullis approbando statuta Ordinam, quibus sic constitutum, ut Delb. *l. c. à. num. 8.* Mar. Ital. *de immunit. l. 1. c. 3. §. 1.* Wiestn. *l. c.* Reiffenst. *b. t. num. 72.* unde jam, ut Idem *num. 76.* etiam, etsi de jure aliquando hoc privilegio contra suos superiores gavisi fuissent, huic tamen de facto, utpote introducto jure humano tantum, plenissimè per dictam consuetudinem & praxin apud omnes religiones notoriè vigentem carcere perpetuo, tritremibus, expulsionem ab ordine plenissimè derogatum. Ad hæc jus illud asyli nullum illis favorabilem pareret effectum, dum neque redderet tutos in vita & membris, utpote in quibus jam absque dicto jure asyli tuti sunt contra superiores religiosos, quia hi pœnâ sanguinis illos afficere nequeunt Arg. *c. Clerici vel Monachi.* neque etiam à gravibus pœnis aliis, utpote in ordine ad quas, quòd minùs hæc contra eos statui, & executioni dari possent à superioribus religiosis *juxta c. dilectus l. c. de simon. & Bullam Gregor. XV. universi dominici. qua est 14.* hujus Pontificis in Bullar. *Tom. 3.* obstat dicta consuetudo contraria, & statuta cujusque ordinis multoque minùs à pœnis minoribus. ita ferè Reiffenst. *b. t. num. 73.* Sed neque limitanda est responsio ita, ut procedat tantum, ut volunt Cened. *l. c. q. 42.* & Diana. *p. 1. tr. 1. resol. 25.* quòd ad confugientes ad Ecclesias proprii monasterii, sed etiam ad confugientes ad Ecclesias alieni monasterii, ut Delb. *l. c. num. 6.* cum AA. pro responsione citatis, quia loquuntur jura absolute. Neque ut extendatur solum, (ut vult Gambacur. *l. 4. c. 11. num. 10.*) ad casum quo superior processurus esset ad pœnas seu pœnitentias solum salutare in foro paterno injungendas, & non ad pœnas ultrices canonum in foro judiciali; ita etiam, ut si in ordine ad has extrahat suum religiosum superiorem, ipse incurrat pœnas statutas violatoribus immunitatis ecclesiasticæ & religiosi extracti non teneantur respondere ad interrogata à superiore, siquidem contrarium, quod cum cæteris AA. citatis tenet Delb. *l. c.* evinci rationes allatæ pro respons. Amplianda verò, ut procedat contra apostatas, ita ut & hi extrahi possit ex Ecclesia, ut puniantur in foro etiam judiciali juxta rigorem Canonum. Delb. *c. 16. du. 11. f. 1. num. 11.*

Quest.

Quæst. 1019. An & qualiter servus gaudeat asylo?

Resp. Tameſi ſervus ſecundum dicta gaudeat immunitate reſpectu iudicis; cum reſpectu illius conditio ſervilis ſe habeat per accidens; reſpectu tamen domini ſui non gaudet illa; Sed juxta *c. inter alia b. r.* compellitur invitatus redire ad ſervitium domini ſui, alioquin poterit à domino occupari; adeoque Clerici Eccleſiæ, ad quam confugit tenentur eum extradere prius tamen iis præſtito à Domino juramento de immunitate ſervi ab irregularitate ſeu immoderata correptione pro ut idem habetur *L. præſenti §. ſin. c. de hiſ, qui ad Eccleſ. confug.* Quod ipſum tamen limitandum ſeu diſtingvendum, ita ut ſufficiens ſecuritas ſervo præſtari & periculum immodicæ correptionis evitari videatur in caſu, quo delictum ſervi leve eſt, ſi vero delictum fuerit grave, juramentum regulariter non ſufficiat, ſed dominus teneatur aliam majorem ſecuritatem præſtare, alioquin prælatuſ Eccleſiaſticuſ non obligetur ſervum domino extradere. ut docent *Gl. in cit. L. præſenti. Suar. l. c. L. 3. c. 10. n. 2. Azor. p. 2. l. 6. c. 9. g. 9. Duard. in Bullam cæne. l. 2. can. 15. g. 16. n. 14. Farin. in append. c. 4. n. 76. Guttier. q. præſ. civil. g. 1. n. 1. §. 14. Germon. de ſacror. immum. l. 3. c. 16. n. 55. quos citat & ſequitur Delb. c. 16. dn. 10. f. 13. à n. 2. Quod ſi autem ſecuritatem majorem præſtare noluerit aut non potuerit, dominuſ compelli debet ad vendendum ſervum, & iſi domino non tradendus. ut tradunt *Gloſ. l. c. Abb. in c. inter alia n. 23. Butrev. ibid. n. 16. Decian. l. 6. c. 26. n. 6. Farin. l. c. n. 69. citans alioſ. Delb. l. c. n. 5. qui etiam n. 6. addit. l. ſi ſervuſ c. de hiſ qui ad Eccleſ. dicentem ſervum ſi armatuſ irruat in Eccleſiam, ſtatim extradendum domino dandam poteſtatem eum extrahendi, intelligendam de traditione faciendam cum dicta cautione juris canonici, nimirum promiſſa ſervo immunitate, ſecus ſe ſtatim extradendum, ſi irruens ibi mutilet vel occidat aliquem; quia tunc immunitate Eccleſiæ non gaudet.**

Quæſt. 1029. An & qualiter debitor gaudeat immunitate aſyli?

1. Resp. Locum quoq; dari immunitati aſyli in cauiſ civilibus, atq; ita patere aſylo debitoribus, qui ſolvendo non ſunt, ut confugientes ad illa ibi ſecuri ſint contra *Jaſon in l. vinnuſ ff. de reb. creditis Cutell. de immum. l. 1. g. 2. à. n. 26. & alioſ quodaſ cum communiore & probabiliore (juxta quod declaravit S. cong. Episcoporum in una controneſ. 11. Julii. 1617. & in una Beneventæ. dic. 10. May. 1619. apud Delb. l. c. du. 11. f. 1. n. 5. tenent. Abb. l. c. à n. 22. Sylv. l. c. 3. g. 3. Covar. l. c. c. 20. n. 14. Laym. l. c. c. 3. n. 9. Azor. l. c. Guttier. l. c. Suar. l. c. c. 11. n. 3. Farin. l. c. c. 4. n. 57. Decian. l. c. c. 28. n. 34. Barb. Jur. Eccl. l. 2. c. 3. n. 46. Genuens. in pr. c. 22. n. 1. Tulch. lit. E. concl. 11. n. 3. Wiefn. h. r. n. 86. Bonac. Peregr. Lezan. apud delb. l. c. iſi conſentientem, ex ea ratione, quòd iſi concedatur illa immunitas jure civili l. 1. §. 6. de hiſ, qui ad Eccleſ. confug. Eccleſia vero legum civilium traditioneſ immunitati à ſe conceſſa non præjudicant, ſed potius faventes diſerte approbat; *ean. frater. 10. can. id. ſtatimus 36. c. inter. alia b. r.* eadeq; etiam jure canonico iſtiuſ modi debitoribus locus ſit in aſylo. Neque contrarium evincunt adducta ab adverſariis, nimirum quòd reorum nomine, quibus aſylum concedunt jura & Bulla Greg. XIV. non veniant niſi delinquentes, quales non ſunt iſtiuſ modi debitoruſ, nam etiam in materia favorabili, præſertim ad juſ civile cum canonico conciliandum, veniunt hoc nomine pecuniarii debitoruſ; cum reuſ ſit, qui in iudicium pro re*

R. P. Leur. Jur. Can Lib. III.

aliqua petitur *c. foras. de P. S. ſive civiliter ſive criminaliter conveniatur.* Et ita docent *Covar. var. l. 2. c. 20. n. 14. Azor. l. c. Farin. l. c. c. 3. n. 51. Ambroſin. l. c. c. 13. n. 2. Germon. l. c. n. 110. Genuens. c. 17. n. 2. Bonac. d. 3. g. 7. de immum. §. 4. n. 2. Delb. l. c. f. 2. à n. 2. Haunold. l. c. tr. 1. n. 180. Wiefn. h. r. n. 68. Item quòd immunitas aſyli concedatur ad evitandam poenam corporalem. *can. id. conſtituimus. can. deſervit 17. g. 4. c. inter alia b. r.* poena autem corporaliſ non imminet tali debitori, nam juxta jura citata hæc immunitas conceſſa ad reum defendendum non tantum à poena capitiſ, ſanguiniſ aliaſve corporaliſ; ſed & ut non extrahatur inde incarcerandus, vinculiſ conſtringendus, aſiove modo vexandus. *Delb. l. c. f. 3. n. 1. Wiefn. l. c. ne autem illiuſ non extractione præjudicatur tertio, nimirum creditori, dum vel ſic debitor in aſylo exiſtens impeditur laborando ſerviando ſatisfacere creditori, citandus erit, ut ſe ſaltem per procuratorem defendat, & ſi id non faciat, creditor mittendus in ejuſ bonorum poſſeſſionem, nunquam tamen tradendus in ſervum creditori Abb. l. r. n. 22. Haunold. n. 182. Delb. Wiefn. l. cit.**

2. Extenditur reſponſio primo ad debitoruſ ſuſpectoſ de fuga; quia debitoruſ ſuſpecti fuga alia via impediti poteſt, nempe appoſitione cuſtodie facta à iudice, adeoque ejuſ extractione violabitur immunitas Eccleſiaſtica. *Delb. l. c. f. 4. n. 3. §. 4. citatiſ Covar. & Germon. l. c. tr. Farin. l. c. c. 3. n. 60. Ambroſ. l. c. c. 3. n. 3. Suar. cit. l. 3. c. 11. n. 3. ſed neque talem debitorem capi poſſe & incarcerari in loco ſacro, ex eo recte deducitur, quòd puniri & ſupplicio affici poſſit in die feſto cum puniri poſſit non autem in loco ſacro ita AA. citati*

3. Extenditur ſecundò ad debitoruſ tributorum, ita ut & hi gaudeant aſylo, ut contra *Anchar. in c. inter alia n. 6. §. 7. Butr. n. 13. Gambacur. L. 5. C. 43. à n. 2. Cutell. Oldrad & alioſ cum communiore & probabiliore docent Suar, Germon. Azor. Ambroſ. l. c. tr. Farin. l. c. n. 31. Laym. L. 4. tr. 9. C. 3. n. 5. Delb. l. c. f. 5. à n. 51. Wiefn. h. r. n. 87. non obſtante jure civili hanc immunitatem illiſ denegante. *Auth. de mandat princip. §. publicorum* ſiquidem ex eo non ſequitur non concedi eam quoque à jure canonico, cum illud non ex eo ſolum cenſeatur illam concedere tacite, quòd approbet leges civileſ eam concedenteſ; ſed & directe & explicite quòd omnibuſ delinquentibuſ & reiſ, exceptiſ quibuſdam tantum (inter quos non ſunt debitoruſ tributorum) immunitatem concedat, dum hac generali conceſſione veniunt debitoruſ quicuſque, & qui rei in iudicio & qui rei debitorum vocantur *Delb. l. c. Wiefn. n. 87. adde, quòd cum cit. auth. adveſetur juri canonico, ab eo jam revocata ſit, ut Delb. n. 7.**

4. Extenditur tertio ad fraudulentuſ decoctoreſ & negotiatoreſ, qui ſplendide & laute vivendo ſua conſumpſerunt, pluribuſ miſere deceptiſ, falſi ſeu bancorati vocantur, ita ut & hi ab aſylo non excludantur, neque ratione debiti (deberent enim aliaſ omneſ debitoruſ excludi) neque ratione delicti commiſſi in iſta luxurioſa decoctione & deceptione; cum etſi propter hanc & inde plurima rei publicæ ſecuta mala & incommoda à Pio V. in ejuſ Conſtitutione æquiparentur publiciſ latronibuſ, illud tamen non numeretur inter delicta excepta, quia proprie latroniſ non ſunt, adeoq; dum per dictam æquiparationem poenæ extendendæ non ſint ad ſolum ſimile, privari non poſſunt aſyli immunitate in præjudicium religioſorum & ſacrorum locorum, præſertim poſtquam conſtitutione Gregor. XIV. indultuſ à Pio V. conceſſiſ ſit derogatum. uti nec in vim literarum juſſu

A a a a a

Clem,

Clem. VIII. expeditarum, quibus dictis decoctoribus denegari videtur privilegium asyli; cum legis Ecclesiasticæ vim & formam non habeant, utpote tantum Neapolim & Bononiam directæ, absque eo quod in aliis provinciis & Romæ promulgatæ sint quin & in iis caveatur solum, ne tales mercatores falliti monasteriis recipiantur, sed expellantur, non autem, ut curiæ seculari tradantur, ut cum Farin. *l. c. n. 64. Delb. l. c. f. 6. à n. 10. & Wiefn. n. 91.* Atque ita ex communiore, probabiliore, & post constitutionem Greg. XIV. certa sententia DD. ut ait Delb. *n. 8. docent Nav. c. 25. n. 19. in fine. Suar. Farin. ll. cit. Amb. l. c. n. 4. Duard. in Bull. cæn. L. 2. can. 5. q. 16. n. 16. Fagn. in c. iter alia n. 58. Sanch. in opusc. tom. 2. l. 6. c. 1. du. 8. n. 24. Gratian. discept. for. tom. 2. c. 38. n. 29. Dian. p. 1. tr. 1. resol. 32.* referens sic Romæ in Cardinal. Cong. decisum, & alii citati à Delb. *l. c.* id certum esse dicens in casu, quo talis decoctor fugeret ad Ecclesiam, solum pro persona sua salvanda absque illatis illuc bonis & rebus suis. multoq; magis esse certum post constitutionem Greg. XIV. utpote, qua revocantur omnes consuetudines, privilegia, indulta data principibus extrahendi ab Ecclesia delinquentes & nominatim fraudulentos decoctores contra Covar. *p. 2. c. 20. n. 14. Farin. de carcerib. q. 28. n. 13.* qui postea hanc suam sententiam retractavit *in appendic. l. c. Gutt. 99. pract. civil. L. 3. q. 1. n. 4. & 15. Germon. l. c. n. 113. Rebuff. de mercator. c. ult. gl. ult. n. 7. & 8. Tanner. 2. 2. d. 5. q. 8. du. 1. n. 17. Hambac. Fagund. Cutellium aliosque plures apud Delb. l. c. f. 6. n. 1.* quorum ratio in contrarium jam diluta paulo ante. Quod si tamen talis suas quoque res & bona secum illic intulisset, ea seculari curiæ petenti consignanda vel in loco non immuni deponenda pro ut à S. cong. Episcoporum. & regular. pluries responsum testantur Delb. *l. c. n. 16. ex Dian. p. 6. tr. 1. resol. 17. Barbof. de jur. Eccl. c. 3. n. 47.* ubi is etiam, quod ea bona auferri inde possint à iudice seculari de licentia tamen iudicis Ecclesiastici.

5. Extenditur quartò ad obligatos ad ratiocinia ratione alicujus administrationis, ita ut hi multo magis quam debitoribus tributorum defendantur asylo propter eandem concessionis generalitatem & restrictionem factam per particulam tantum ad certa delicta in *c. i.* toties constitutione Greg. XIV. *cum aliàs data Romæ 1591. nono calend. Julii.* quàm verbotenus refert Wiefn. *h. t. à n. 25. per aliquot paginas.* Ac ita docent Nav. *l. c. n. 16. Farin. l. c. n. 63. Decian. L. 6. c. 28. n. 26. Delb. l. c. f. 5. n. 9. Wiefn. h. t. n. 88. Cutell.*

Quæst. 1021. Num fugiens è carcere condemnatus ad mortem, elabens è manibus ministrorum dum ducitur ad supplicium, ductus per Ecclesiam gaudeat in ea immunitate asyli?

1. Resp. Ad primum: Captus jam & careeri inclusus ob delictum non exceptum, è carcere fugiens ad Ecclesiam aliumve locum sacrum gaudet asylo; quia eo fruuntur omnes præter eos exceptorum criminum (inter quæ non est effractio carceris & fuga ex eo) Abb. *inc. inter alia h. t. n. 32. Covar. l. c. n. 13. Clarus §. fin. q. 3. Farin. l. c. c. 14. n. 200. Tusch. v. Ecclesia. concl. 10. n. 30. Suar. L. 3. de reverent. deb. locis sacr. c. 11. à n. 18. Decian. l. c. c. 28. n. 28. Barb. ad h. t. c. 6. n. 11. Laym. h. t. r. 9. c. 3. n. 9. Delb. c. 16. du. 10. f. 6. n. 1. Wiefn. h. t. n. 79. & c. contra Gambacurt. L. 4. c. 12. n. 9. Tholosan. Syntag. jur. h. t. c. 22. Naldum & c. His non obstante praxi contraria usitata in Galliis, de qua Chassan. apud Jordan*

lucubrat. *l. 1. r. 3. n. 224. dæ eandem praxim improbat Covar. Clar. & Boër uti contrarium iudicatum in senatu Burdigalensi testantur. neque etiam quod talis subdit jam potestati & iudicio Judicum, adeoque ei se subducens videatur committere injustitiam. nam talis subest potestati huic, quam diu existit in eorum jurisdictione, secus si extra eam exeat, fugiendo ad Ecclesiam. sed neque committit injustitiam cum utatur suo jure, & esto eam committeret, non tamen per hoc committit delictum exceptum, & restitutio illius in manus Judicum locum non habet, dum ex eo sequitur damnum irreparabile vitæ vel corporis. Idem est, de bannito, deportato, proscripito, exule, dum à loco exilii confugiunt ad Ecclesiam, ut cum Genuens. *in prax. c. 22. n. 1.* de deportato Delb. *l. c.* quin etiam.*

2. Resp. Ad secundum: Idem ob easdem rationes est de damnato ad mortem non tantum ob delictum non exceptum, sed etiam ob delictum exceptum, si non fuerit ob illud condemnatus probationibus, sed solum ex indicis & probationibus non excludentibus; quia tunc potius ob contumaciam, quam ob crimen exceptum fuit condemnatus, ita Nav. *l. c. Farin. c. 2. à n. 42. Lezan. V. immunit. Eccl. n. 16. Delb. cit. du. 10. f. 5. an. 1.*

3. Resp. Ad tertium: Idem est de eo & gaudet asylo, qui, dum ducitur ad supplicium, elapsus aut etiam ereptus ab alio è manibus ministrorum Justitiæ fugit ad Ecclesiam, ut cum Decian. *n. 29. Farin. n. 15. Gambac. Ambrosin. n. 13. & aliis Delb. l. c. S. 2.* quin etiam, ut Idem, si ipse per vim trahat secum ad Ecclesiam ministros. Idem est de condemnato ad Triremes ob delictum non exceptum, sive in perpetuum, sive ad tempus, ita ut si à trireme fugiat ad Ecclesiam (intelligendo per Ecclesiam omnia loca sacra de quibus supra, etiam interdicta suspensa, pelluta, & necdum reconciliata, aut etiam necdum plene constructa) stratur asylo reddaturque securus ab Ecclesia tam à pena jam inflictâ, quam infligenda, pro ut nimirum jam constructus est in triremi, vel solum condemnatus ad illam fugit, ita Dian. *p. 1. tr. 1. resol. 40. Novarius in sum. Bull. tit. de immunit. Eccl. n. 27. Lezan. Correa. & alii, quos sequitur Delb. du. 10. f. 9. à n. 1.* contra Mattham *de jurisdictione. p. 2. c. 15. n. 17. Cutell. de immunit. L. 1. q. 2. n. 8.* aliosq; qui tamen admittunt talem solum cogi posse redire ad remigandum ad tempus prius statutum, non item ad sustinendam pœnam propter fugam, cum hujus remissio, priusquam iudici seculari tradatur, ab Episcopo vel Ecclesiæ præposito obtineri debeat. quod si vero non ob delictum seu sententiam, sed ex locatione & pro pretio conductus ad remigandum pro certo tempore, eo non elapso, fugiat ad Ecclesiam, eum non fruatur asylo, cum tali nec pœnæ nec rei definitio conveniat, sed solum cogi posse ad redeundum nisi forte cogendus ultra illud tempus ad remigandum, probabiliter dici à Cutell. asserit Delb. *l. c. d. 1. n. 13.* non tamen idem est, si talis ductus ad supplicium per Ecclesiam vel camiterium inde exire nolit, tunc enim sine violatione immunitatis extrahi potest, ut Covar. *l. c. n. 17. Tusch. l. c. concl. 12. n. 28. Delb. cit. f. 8. n. 2.* ex ea ratione, quod in eo casu non confugiat ipse ad Ecclesiam, pro ut Leges & canones requirunt, ac præsertim constitutio Gregor. XIV. Unde etiam immunitate non gaudet, qui in carcere existens ad sacerdotem portantem Eucharistiam intra carcerem accurrit ac ita spectato rigore juris probabilis docent Tusch. *l. c. conclus. 12. n. 28. Suar. de relig. L. 3. c. 11. n. 18. l. c. d. 1. n. 17. Guttier. 99. L. 3. q. 6. Covar. cit. c. 20. n. 17. Far. l. c. c. 15. n. 201. Delb. c. 16. du. 10. f. 7. n. 4.* contrarium tamen sententiam tanquam magis piam & fa-

& faventem immunitati (saltem in casu, quo reus ducitur ad carcerem per Ecclesiam non necessario, sed voluntarie, dum nimirum per alium locum duci posset ad carcerem) sectantur & in praxi amplectendam asserunt Clarus. L. 5. q. 30. Germon. de immunit. L. 3. c. 16. n. 35. Dian. p. 1. tr. 1. resol. 30. Fagund. de prac. Eccl. prac. 2. L. 4. c. 4. n. 57. Pereg. de immunit. c. 5. n. 8. alique apud Delb. n. 6. § 7.

Quaest. 1022. quoniam sint crimina excepta, quorum rei non gaudent privilegio asyli?

Resp. crimina quantumcumque enormia, nisi expressè in iure excepta à dicto privilegio, eodem fruuntur, ut dicitur in c. inter alia. h. t. quae ex variis iuribus & constitutionibus congestis Greg. XIV. in sua constitut. cum aliis. edita anno 1591. § 97. huius Pontificis, his verbis: *Ad unam tantum formam reducimus, moderamus, ut laicis ad Ecclesias locaque sacra confugientibus; si fuerint publici latrones viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, quique homicidia & mutilationes membrorum in Ecclesiis earumque cemeteriis committere non verentur; aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassinis; vel heresis, aut laesa majestatis rei in personam ipsiusmet Principis, immunitas Ecclesiastica non suffragatur.* De quorum singulis dictarum in sequentibus. De cetero praefata Bulla obligat omnes in toto orbe Christiano, & in utroque foro observanda, ita Farin. l. c. c. 2. n. 8. Fagn. in c. inter alia. Barbof. de iure Eccl. L. 2. c. 3. Castrop. p. 2. tr. 11. d. unio. Reiffenst. h. t. n. 8. & aliorum omnium post dictam Bullam scribentium contra Gutt. L. 3. qq. pract. q. 1. n. 36. in hoc, ut ait Reiffenst. singularem, ubi iis (subijciendo se modestae censurae Ecclesiae) docet. hac Bulla non intendere Pontificem aliud, quam revocare privilegia Apostolica concessa quibusdam Principibus extrahendi laicos ex quibusdam locis sacris, ubi habebantur talia privilegia, non item ex aliis locis, ut proinde in alia loca, in quibus non erant talia privilegia in materia immunitatis attendere non habebant, sed juxta dispositionem juris communis in omnibus procedere possent ac debeant. Verum ratio est in contrarium, quod nimirum quavis Constitutio Apostolica non pro certo loco aut certis personis, sed neque ex eo, quod admittatur dictam Constitutionem non esse ubique promulgatam, sequitur, quod quoque ubique non obliget, cum ad hoc, ut lex Pontificia omnes ubique Christianos obliget, non requiratur, illam ubique promulgatam esse, sed sufficiat, quod Romae consuetis locis sit promulgata, prout alibi declaratum, ad illud autem, quod dicitur illi Bullae in aliquibus locis per consuetudinem derogatum esse, bene dicitur, consuetudinem veluti quid facti probandam esse, quod quamdiu non fit, juxta dictam constitutionem procedendum, nunc ad singula crimina excepta, unde sit

Quaest. 1023. quoniam veniant nomine publicorum latronum, & grassatorum ut excludantur a privilegio asyli?

Resp. ad primum: quamvis loquendo largius, publicus latro dicatur omnis ille, qui violenter palamque & publice furatur, ut Farin. in append. de immunit. c. 10. n. 147. Fagn. in c. inter alia h. t. Castrop. p. 2. tr. 11. d. unio. p. 9. n. 7. Pirh. h. t. n. 19. Reiffenst. h. t. n. 90. Strictius tamen loquendo veniunt illi, qui praeda seu rapinae causa homicidium publice committunt. Arg. can. cum homo. caus. 23. q. 5. sive ut Wiestn. h. t. n. 101. cum Abb. in c. inter R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

alia. Barbof. jur. Eccl. L. 2. c. 2. n. 79. qui more piratarum in mari vel flumine latrocinia exercent, vel qui arcem castrumve habentes distrobant, hoc est, aggrediuntur, spoliant vel etiam occidunt. Proinde ad rationem latronis publici accepti strictius requiruntur sequentia. Primò, ut hoc delictum aliquoties consummaverit, & non sufficiat ut pluries attentaverit, cum simus in materia odiosa & poenali, praesertim praedictiva immunitati Ecclesiarum. Navarius in summa Bullar. tit. de immunit. n. 45. ex Suar. & Giurba apud Delb. c. 16. dn. 13. n. 11. Secundo ut saepius homicidium committat & non sufficiat, ut semel iterumve committat illud; quemadmodum ex unica fornicatione non dicitur meretrix publica. Abb. in c. 1. de judic. n. 24. Farin. l. c. n. 154. Castrop. l. c. n. 2. Decian. L. 6. tr. crim. c. 24. n. 2. Barb. jur. Eccl. L. 2. c. 3. n. 84. Haunold. Tom. 6. tr. 1. n. 191. Delb. n. 8. § segg. (quamvis Martha de juris d. p. 2. c. 51. n. 22. teneat, posse quem constituit latronem publicum etiam ex unico actu) quia nomen latronis frequentiam denotat, ut AA. mox citandi, ubi autem frequentia est necessaria, duos actus ad inducendam consuetudinem sufficere docent Gl. in ant. testibus. S. quia verò multi, § L. 2. in sine eod. de Episcop. audient. neque ex eo, quod qui semel delictum admisit, vitam amittit, sequitur, quod etiam amittat immunitatem asyli, nam in hoc est disparitas, quod Principes, licet disponere possint de vita hominis, non tamen disponere possint circa immunitatem Ecclesiasticam, utpote quod spectat solum ad Papam, ut Peregr. de immunit. c. 6. n. 9. Ambrosin. eod. c. 3. n. 6. Maltrill. de indult. c. 33. n. 7. Delb. l. c. n. 15. Tertio requiritur, ut in locis viis aut itineribus publicis frequentatis latrocinia exercent, dum ex insidiis prodeuntes viatorem aggrediuntur. Farin. Castrop. Haun. LL. cit. unde qui in via aut loco privato non frequentato praeda causa occidit, latro publicus dici nequit, & consequenter asylo privandus non est, Farin. l. c. c. 10. n. 151. Ambrosin. l. c. c. 2. n. 3. Wiestn. h. t. n. 103. Reiffenst. h. t. n. 92. ubi etiam pro utroque hoc requisito refert ex Pignatel. Tom. 6. consult. 4. n. 113. verba S. Congreg. quibus addunt Decian. l. c. Farin. l. c. n. 152. latronibus publicis annumerari eos, qui in domibus privatis praeda causa committunt latrocinia; eò quod, cum domus privata sit locus continuo frequentatus non immerito quoad privationem immunitatis viis publicis aequiparetur, praesertim, quod non minus sed majus bonoque publico perniciosius malum, homines in domibus propriis, ubi securè se quisque habitare sperat aggredi. Ita Reiff. l. c. de cetero his non obstantibus, quod actum etiam unicum in loco privato vel publico etiam solum attentans loci alicujus speciali statuto pro latrone publico habeatur, quin adhuc immunitate asyli fruatur, ita Ambrosin. c. 30. n. 7. Sperell. decis. 103. n. 25. Guazzin. de defensor. l. c. 38. n. 37. Wiestn. n. 105. Ex eadem ratione, quod summi Pontifices delicta, quorum reos asylo defendi noluerunt, secundum propriam communi jure & DD. usu approbatam potius quam specialis loci alicujus usu receptam significationem acceperint, ut Farin. L. 1. conf. 76. n. 8. praesertim; cum, si in delictorum qualitatibus spectanda essent statuta particularia, jus asyli ad unam formam & uniformem regulam reducere frustra conatus fuisset Greg. XIV. Quarto requiritur, ut de latrocinis constet notorie vel notoritate facti, dum ipsum factum palam constat, ita ut nullà exceptione vel tergiversatione excusari aut negari possit, vel notoritate iuris nimirum per Confessionem propriam vel convictionem, sententia & condemnationem, ita ut ad privandum illi asylo non sufficiat praesumptio, suspicio, du-

bium, rumor vulgi; unde extrahi non potest, donec latrocinia probentur, etsi extractionem præten- dens dicat ea esse notoria sed debet audiri reus Farin. *l.c. n. 155*. Castrop. *l.c. n. 2*. Decian *l.c. Reiffenst. h.t. n. 93*. Wiestn. *h.t. n. 101*.

2. Resp. Ad secundum: Grassatores, etsi fere confundantur cum latronibus publicis, strictius tamen accepti in hoc ab illis distinguntur, quod in viis publicis homines violenter aggrediantur & despolient sine cæde tamen Arg. constitutionis Gregorianæ ubi dum ut distincti enumerantur, nulla fit cædis mentio item Arg. *L. capitulū §. 10. ff. de pens.* Caterum ut priventur Asylo, eadem omnino requiruntur quæ ad latronem publicum requiri diximus; nimirum ut non solum unâ alterave vice homines violenter aggrediantur & re ipsâ despolient in viis publicis seu itineribus frequentatis, ita tamen, ut sicut dictum de latronibus publicis, censeantur tales & priventur asylo, licet id non faciant in stratis publicis, sed in domibus privatis homines violenter aggrediantur eisque vi bona sua abripiant, aut eos ligent, includant, teneant, ne se defendant miseri ut ipsi interim cistas aperire & alia è domo rapere possint. Unde jam etiam fures sive simplices, sive qualificati, sive occulte, sive aliis videlicet auferunt aliis sua, modò id faciant sine vi vel armis, adhuc fruuntur asylo: quia furtum, quantumque de cætero qualificatum, non numeratur inter delicta excepta. Hostiens. *in c. inter alia. h. t. n. 4*. Dian. *p. 6. tr. 2. resol. 15*. Wiestn. *h.t. n. 102*. His non obstante, quòd teste Covar. Claro & aliis ante constitutionem Gregorianam vi consuetudinis istiusmodi fures fuerint extracti ex asylo, quia dictæ consuetudines per illam constitutionem plene sublata. posse verò de- nuo illi constitutioni, quò ad hoc per consuetudinè aliam rationabilem legitime præscriptam derogari censent Farin. *de immunit. c. 6. n. 94*. Gazzin. *de def. reor. l.c. 37. n. 59*. Gonz. *in c. inter alia. h.t. n. 7*. quos citat & sequitur Wiestn. *n. 7*. & sic alicubi ei derogatum esse volunt aliqui, quod, num verum, viderint ipsi, qui affirmant, ait Delb. *du. 14. n. 4*. si verum, se non audere damnare talem consuetudinem.

Quest. 1024. Qui veniant nomine depopulatorum Agrorum & num tam diurnus quam nocturnus depopulator propterea privetur asylo.

1. Resp. Ad primum: Depopulatores agrorum dicuntur illi, qui agrorum segetes, vinearum fructus deperdunt seu devastant conterendo (v.g. incendio per segetes, latitando in iis) incendiando, auferendo, depascendo, sive id faciant animo pure nocendi domino, sive ut sibi suòque commodo prospiciant. Hostiens. *in c. inter alia. h. t. v. nocturnus*. Fagn. *ibid. n. 27*. Castrop. *l.c. p. 9. n. 4*. Wiestn. *h. t. n. 109*. Jordan. *Lucub. L. 2. lit. 3. n. 322*. Sive hæc devastatio fiat publice sive in occulto, modò ea legitime probetur, seu de ea constet notorietate juris aut facti, cum jura indistincte de ea loquantur, nullam facientes mentionem de publicitate illius, sicut faciunt de latronibus & grassatoribus. Castrop. Wiestn. *LL. cit. Reiffenst. h.t. n. 92*. Et modò sit vera depopulatio, qualis non censetur, dum quis solum aliquam partem segetum deperdit, latitando v.g. in eis, aut iter faciendo per eas, vel manipulos aliquos simpliciter furatur; sed qui totaliter vel graviter devastat, quia is solum reip. quietem & tranquillitatem perturbat graviter, quem proinde præ aliis puniri interest Fagn. *in c. inter alia. n. 28. in fine* Wiestn. Reiffenst. *ll. cit. Arg. l. fin. c. quando liceat sine Juda & cum Gl. ibidem*.

2. Resp. Ad secundum: Neque hic faciendum videtur discrimen inter depopulatorem diurnum & nocturnum, ita ut prior adhuc gaudeat asylo & nocturnus, probabiliter docent Farin. *in append. c. 1. n. 161*. Barb. *de jur. Eccles. l. 2. c. 2. n. 87*. Haunold. *tom. 6. tr. 2. n. 194*. Wiestn. *n. 111*. dicens, id moderno jure esse verius ex eo capite, quod Gregor. in Bulla sua omittend o particulam restrictivam: *nocturnus*, ab asylo excludi voluerit quemcunque agrorum depopulatorem; cum per unum non creetur majus damnum quam per alium communitati; ac proinde his non obstinantibus, quod jure communi depopulatores diurni fuerint excepti, ut constat *ex c. inter alia*. dum satis colligitur eum omittendo illos in sua Bulla intendisse jus antiquum tacite corrigere, præsertim dum & alios quosdam casus jure antiquiore exceptos, casibus exceptis in sua Bulla adjunxit. ita Wiestn. & Reiffenst. *ll. cit.* contrarium tamen non improbabiler tenentibus Castrop. *l.c. n. 5*. Delb. Tusch. & aliis apud Farin. *l.c.*

Quest. 1025. An & quando excludantur asylo, qui in Ecclesia & cæmeteriis committunt homicidia vel mutilationes?

1. Resp. Excludi illos Asylo, pro ut constat ex Bulla Gregor. *c. fin. h. t.* ubi etiam exprimitur ratio formalibus: *cum in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat, & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem, mandamus tales non gaudere immunitatis privilegio, quos faciunt indignos &c.* & ita AA. communiter. Idem est de mutilante aliquem in Ecclesia vel cæmeterio juxta eandem Bullam. mutilatione autem venit, dum alicui per alium auferatur membrum vel pars corporis, quæ specialem functionem seu officium habet ab officio aliarum partium corporis, uti sunt manus, pes, oculus, lingua; mammilla fœminarum, quamvis de his negent Baldus & alii quidam, non vero digitus, etiam pollex, auricula id est, exterior illa cartilago, testes (quamvis de his dubitari possit num sint membrum proprium officium habens) pars aliqua carnis; Cavarruv. *in Clem. si furiosus. p. 3. n. 8*. Molin. *tom. 3. d. 69. n. 2*. Suar. *de cens. d. 44. f. 2. n. 6*. Reginald. *l. 1. n. 91*. Delb. *c. 16. du. 19. f. 1. a. n. 5*. Reiffenst. *h. t. n. 100*. Econtra est seu adhuc gaudet asylo, qui vulnerat alium in Ecclesia, modo non lethaliter, etsi alias graviter cum magna effusione sanguinis, ita contra Tusch. *v. immunitas concl. 59*. Mar. Italia. & alios quosdam, Farin. *l.c. c. 16. n. 227*. Castrop. *tom. 2. tr. 11. d. unic. p. 6. n. 10*. juxta quod declarasse S. congregationem 16. Novemb. 1618. referunt Pignat. *tom. 6. consult. 4. n. 106*. & Barbos. *jur. Eccl. l. 2. c. 3*. Item adhuc gaudet asylo, qui vulnerat debilitando quidem membrum, quod proprium officium habet, & sic ad usum reddendo illud ineptum, non tamen abscidendo illud Delb. *l.c.* Extenduntq; hoc ipsū Farin. & Dian. ad reum qui vicinus Ecclesie cum sacelle intrat Ecclesiam, è manib⁹ ejus se eripiens. eundem vulnerat non lethaliter, cum magna effusione sanguinis, neq; enim per hoc committit in Personam principis, quod vulneret ejus ministerium. Porro extenditur responsio primò ut privetur asylo qui sive cum spe immunitatis sive sine illa sive ex proposito sive ex subita ira aut provocatus (modo cum moderamine inculpatae tutelæ) occidit aliquem in Ecclesia. ita cum probaliore, ut censent, docent Abb. *in c. inter alia. h. t. n. 8*. Covar. *cit. c. 20. n. 15*. Suar. *l. 3. c. 11. n. 6, in fin.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 6*. Barb. *l.c. c. 3. n. 104*. Germon. *l.c. l. 3. c. 16. n. 79*. Decian. *l.c. l. 6. c. 28*.

c. 28. n. 5. Cutel. l. 1. q. 11. & alii quos citat & sequitur Delb. l. c. f. 4. n. 3. ex ea ratione, quod, esto Pontifex intenderit coercere audaciam illorum qui sub spe immunitatis in Ecclesia occidebant & mutilabant, non tamen ex eo sequatur, quod eos solos privet, dum generaliter sine distinctione homicidii & mutilantibus in Ecclesia pœnam illam privationis infert, contrarium tamen nimirum quod priventur solum ii, qui sub dicta spe. & præmeditate occidunt Tusch. l. c. concl. 11. n. 13. Azor. l. c. Gutt. l. c. à n. 3. Dian. l. c. 4. resol. 11. qui sic Romæ decisum 1639. testatur. de qua tamen decisione non constare authentice ait Delb. l. c. Secundo extenditur, non solum non gaudeant asylo in Ecclesia in qua homicidium vel mutilationem commiserunt, sed etiam in alia ad eam confugientes; quia adhuc verum est illum commississe homicidium vel mutilationem in Ecclesia, & qui per illud delictum commissum offendit unam Ecclesiam, eo ipso offendit omnes. ita contra Sylv. v. immunitas §. 3. docent Covar. l. 2. var. c. 20. n. 15. Sanch. tom. 2. cons. mor. l. 6. c. 1. du. 7. n. 16. Azor. p. 2. l. 9. c. 9. Germ. de sacror. immunit. l. 3. c. 16. n. 80. Clar. pract. l. 5. §. fin. q. 30. Farin. l. c. c. 16. n. 119. Ambros. Cutell. Fift. & alii quos citat & sequitur Delben. l. c. n. 15. Limitatur & contra responsio iuxta probabiliorē, ut videtur; quod gaudeant adhuc asylo Ecclesiæ ejusdē & alterius, qui commiserunt in ea alia delicta etiam graviora homicidio & mutilatione, v. g. adulterium, stuprum, sodomiam, sacrilegium, furando etiam spectantia ad eandem Ecclesiam & c. cum privatio immunitatis sit pœna, & in Præjudicium Ecclesiæ, ideoque non extendenda ultra verba legis, seu ad alia delicta. adque ita declarasse S. congregationem immunitatis 18. martii. 1631. adhuc gaudere immunitate Ecclesiæ furantem in ea testatur Barb. in collect. Bullar. v. immunitas. ac ita docent Farin. c. 16. n. 208. & in decis. cons. 76. n. 7. Gratian. discept. forens. tom. 2. c. 308. n. 19. Genuens. in pr. c. 22. n. 8. Dian. p. 1. tr. 1. resol. 2. §. 39. Peregr. tr. de immunit. c. 6. n. 28. Ricc. p. 5. collect. 1792. Bonac. d. 3. q. 7. de immunit. §. 5. n. 12. Delb. l. c. n. 10. & alii apud illum contra plures magni nominis AA. apud eundem n. 7. puta Clarum. cur. §. fin. q. 30. Covar. l. c. Gutt. 99. pract. civil. l. 3. q. 1. n. 17. Suar. l. 3. de reverent. sac. loc. deb. c. 11. n. 6. Reginald. in pr. tom. 1. l. 9. c. 26. n. 38. in fine. Zipæ. in jur. nov. can. l. 3. h. t. n. 10. Sarpum. de jur. asylo. c. 5. fol. 49. Tanner. 2. d. 5. q. 8. du. 1. n. 16. & c. ex ea ratione, quod videatur non esse credibile pontificem denegasse immunitatem propter mutilationē, & non denegasse illam propter delicta longe graviora, de quo plura inferius. Illud tamen hic notandum, quod ob alia delicta in Ecclesia admissa (præsertim sacrilegia) ratione loci possit delinquens à iudice Ecclesiastico puniri, vel à pontifice impetrari, ut non obstante immunitate, delinquentē iudici seculari puniendū remittat, quod pontificem libenter concedere asserit Farin. cit. c. 16. apud Delb. l. c. n. 16. ac deniq; notandū cum eodē n. 18. citatis pro his Gutt. l. 3. 99. pract. q. 1. 18. & aliis contra Ambrosin. Decim. & c. apud Farin. l. c. n. 222. occisorē & mutilatorem in Ecclesia non posse ob alia delicta capi in Ecclesia, nisi simul capiatur ob delictum homicidii vel mutilationis nondum punitum; quia ob alia delicta non datur facultas extrahendi.

Quest. 1026. quinam conseantur adhuc occidere & mutilare in Ecclesia, ut priventur ejus asylo.

Resp. sequentes. primo qui existens ante Ecclesiam sclopeto vel lapide occidit existentem in Ecclesia l. c. 15. Farin. l. c. n. 224. Barb. l. c. n. 113. Castrop. l. c. n. 16. Laym. l. c. l. 4. tr. 9. c. 3. n. 6. Guazz. l. c. 1. c. 3. n. 21. Nav. in man. c. 25. n. 21. Suar. de relig. l. 3. c. 11. n. 7. Dian. l. c. resol. 9. Pirh. h. t. n. 25. Delb. l. c. f. 7. citatque ab eo alii

cum comunissima contra Henriq. l. 4. c. 17. n. 4. in fine. Villagut. de extens. leg. c. fin. n. 50. aliosq; ex ea ratione, quod Actio illativa mortis licet cæperit extra Ecclesiam, consummata tamen fuerit in Ecclesia; attendatur autē in delictis potius consummatio, quam inchoatio. Idem est de eo, qui stans extra Ecclesiam vulnerat lethalliter existentem in Ecclesia, & si hic accepto vulnere domum se conferat, ibidemq; ex eo moriatur, secus de eo, qui stans extra Ecclesiam vulnerat ab existente quoq; extra Ecclesiam, fugit ad Ecclesiam, ibiq; moritur; eò quod efficax causa mortis nullo modo posita fuerit in Ecclesia. ita cū Castrop. l. c. Reiff. h. t. n. 102. ex qua tamē ratione sequi videtur, quod tenent Covar. l. c. Guazz. l. c. n. 20. & in praxi non dammandum ait Wiestn. n. 116. nimirum excludi asylo, qui existens in Ecclesia occidit existentē in loco profano; eò quod causam necessariam mortis ponat in Ecclesia, contrariū tenentib⁹ Bonac. tom. 2. d. 3. q. 7. p. 4. n. 8. Haunol. tom. 6. de 7. §. 7. tr. 2. n. 207. Delb. l. c. f. 5. n. 2. eò quod talis non dicatur consummare occisionem in Ecclesia, pœnæ autem sint ob consummatum actū. confirmatq; id ipsum ex eo Delb. quod existens in Ecclesia occidat existentē foris non incurrat censuram latā contra occidentē in Ecclesia, ut ex comuni Bonac. de cens. d. 1. q. 1. p. 1. n. 11. quin & ipsum n. 5. contra Azor. Farin. Barbos. Durandum & alios. extendit ad eum, qui dolo vel vi ab Ecclesia extractum occidit vel mutilat. quamvis addat n. 6. talem capi posse à ministris Ecclesiasticis ob injuriam Ecclesiæ factam, non tamen à laica potestate.

2. Secundo juxta probabilē non gaudere asylo, qui in sacristia, tecto, atrio, porticu, campanili Ecclesiæ aliisq; locis ei continuis aut vicinis ad 30. vel 40. passus occidunt vel mutilant, eò quod hæc nomine Ecclesiæ adhuc venire velint Arg. l. si aqua §. l. licet. ff. de contrab. empr. tenent Anch. in Clem. de penit. & remiss. n. 5. in fin. Nav. l. c. n. 22. Gutt. 99. pract. civil. l. 3. q. 1. n. 15. Farin. l. c. n. 210. ubi affert pro hoc decisionem Clem. VIII. in una panormitana. Covar. l. c. n. 25. Tusch. v. Eccles. conclus. 11. n. 4. Barb. in c. f. tr. 2. n. 5. Sanch. tom. 2. cons. mor. l. 6. c. 1. du. 7. n. 20. Ambros. Tanner. & plurimi alii apud Delb. l. c. f. 6. n. 4. (qui tamen aliquos eorum loqui ait juxta jus commune, non attenta constit. Gregor. uti & alios limitantes illud ad casum, in quo quis delinquit prope Ecclesiam spe citius & securius convolandi ad eam tanquam asylum. contrarium tamē spectando Bullā Gregor. & præcendendo ab illa decisione Clem. VIII. probabilius tenere videntur Abb. in c. inter alia h. t. à n. 17. Barb. contrarius sibi l. 2. jur. Eccl. c. 3. n. 117. Cast. l. c. p. 9. n. 21. Suar. de relig. l. 3. c. 11. n. 7. Dian. l. c. resol. 3. Pignat. tom. 6. consule. 41. n. 5. & 6. Marant. in contrrov. jur. p. 2. resp. 45. n. 10. Sperell. decis. 60. Novar. in sum. Bull. tit. de immunit. n. 6. Filliuc. tr. 15. c. 6. n. 132. Pluresque alii, quos citat & sequitur Delb. l. c. à n. 1. ex ea ratione principali quod tam in c. fin. h. t. quam Bulla Greg. XIV. ad privationē asyli aliud non requiritur, quam ut homicidū & mutilatio patretur in ipsis Ecclesiis earumq; cæmisteriis (ubi cum Gratian. discept. forens. c. 140. n. 13. AA. passim notant per illas particulas: in ipso: specialissime solū demonstrari interiora Ecclesiarumve locorū conjunctorū in exceptionib⁹ vero istiusmodi pœnalib⁹ immunitati Ecclesiæ derogantibus, adeoq; maxime odiosis non sit faciendā extensio etiam ob paritatē vel majoritatē rationis unde etfi prædicta loca habeantur pro sacris & veniant nomine Ecclesiæ in favorabilibus, non tamen in odiosis quale quid est privatio asyli. Dixi præcendendo à decisione Clem. VIII. siquidem. si de illa (quod negat Delb. l. c. n. 11.) legitime constaret, & dubii non esset; debita cū reverentia accipiendū, & contrariæ pra-

xi locum concedendum, bene dicunt Reiff. *h. t. n. 112.* Wiestn. *n. 119.* Verū dum de ea pignat, *loc. mox cit. n. 40.* qui omnes desuper decisiones diligentissime collegit, nullam de ea mentionē faciat, & desiderare se de super declarationē pontificiā, de ea merito dubitare licere, & interim occurrente casu standum pro asylo & saltem reum non extrahendum, donec Romana curia consueta respondeat, ait *Reiffens.*

3. Tertio constitutum extra Ecclesiam mandantem aliquem in Ecclesia occidi vel mutilari ceteri adhuc occidere in Ecclesia & consequenter privari asylo probabiliter sustinent Abb. *in c. ult. h. t. n. 12.* Mart. *de iurisd. p. 2. c. 5. n. 26.* Gutt. *l. c. q. 2. Suar. l. 3. c. 11. n. 7. & 26.* Barb. *l. c. n. 1. & 16.* Duard. *l. c. l. 2. c. 15. n. 23.* Farin. *l. c. n. 230.* Decian. *tr. crim. l. 6. c. 28. n. 7.* Azor. *p. 2. l. 9. c. 9. n. 14.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 6.* Reiffens. *h. t. n. 103.* cum executio mandati potius adscribatur mandati, quam executori *C. ut fama §. laici de sent. excom.* & is committat vere, cujus authoritate vel mandato delictum committi probatur. *c. mulieris. de sent. excom.* unde in utroq; foro veri homicidæ habentur, & ut tales puniuntur Arg. *l. 6. §. illa verba ff. ad leg. pompon. de parricid. & c. perniciose de parricid. dist. 1.* Contrariū tamen inherendo Bullæ Gregor. non minus probabiliter absolute (id est, sive existens in Ecclesia mandet occidi aliquē foris existentē, sive existens foris ibidē mandet occidi existentem in Ecclesia, propter quos prius etiam aliqui advenariorem admittunt mandantē non privari immunitate) docent Castrop. *tom. 2. tr. 11. d. unic. p. 4. n. 17.* Dian. *l. c. resol. 10.* Lezan. *v. immunit. n. 11.* Bonac. *d. 3. q. 7. de immunit. §. 4. n. 9.* Delb. *l. c. f. 8. n. 1.* Wiestn. *h. t. n. 119.* citatis Jordan, & Hann, &c. ex ea ratione, quod in Bulla exprimentur occidentes & mutilantes, quales non sunt mandantes occidi seu aliquid fieri, nisi in lata & extensa significatione, & quando jura fingunt. Unde leges pœnales latæ in facientem, mandantem non comprehendunt, dum id non expriment, non secus ac censura lata contra facientem aliquid, non extenditur ad mandantes facere.

Quæst. 1027. Num proditorie occidentes proximum priventur immunitate asyli.

Resp. Affirmativè juxta expressa verba Bullæ Greg. & exemplum à Salomone editum 3. *regum 2.* dum Joab, qui proditorie seu per insidias occiderat Abner, confugientem ad altare non reliquit impunitum. Proditorie autem occidere dicitur, qui proximum in actum nihil tale cogitantem per insidias de industria, nulla præcedente inimicitia, vel eā per reconciliationem sublatā, aut etiam sub specie similitudinis amicitia occidit. ita juxta *L. propter invidias c. qui accusare non possunt. l. fin. de delatorib. l. 4. ff. ad seq. ful. Majest. c. clericus 16. dist. C. 16. q. 1.* Suar. *l. c. n. 12.* Var. *C. 3. de homicid. n. 5.* Sanch. *tom. 2. cons. mor. l. 6. C. 1. du. 7. n. 26.* Farin. *l. c.* Delb. *C. 16. du. 20. f. 1. à n. 1.* qui §. 4. idem signate dicit de occidente proditorie infidelē, cum & is, etsi in fide & sacramentis non participet veniat tamen nomine proximi nostri. Item §. 3. de occidente inimicum promissione seu fidejussione data, eo quod per talem permissionē inimico sublata fuerit omnis occasio sibi præcavendi. quamvis probabiliter contrarium teneant Dian. *p. 4. tr. 1. resol. 33.* De Marinis & alii, quia volunt homicidium proditorium esse, quod committitur ab amico, nullo præcedente rancore, sed potius sub specie amicitia v. g. simul comedendo, itinerando &c. In eo verò, num privetur asylo, qui alterum vulnerat proditorie animo eum occidendi, morte tamen inde non secuta, non convenit inter AA. affirmant Nav. *cit. c. 25.* Cov. *l. c. n. 7.* Tanner. *2. c. d. 5. q. 8. du. 1. n. 16.* Gutt. *l. c. q. 7. n. 53.* aliiq; plurimi apud Delb. *l. c. f. 9. n. 1.* Negant è

contra Suar. *l. c. n. 14.* Decian. *l. c. l. 6. c. 2. n. 17.* Germa. *l. c. c. 16. n. 60.* Farin. *l. c. c. 4. n. 145.* Tusch. *V. Eccl. concl. 1. 1. n. 7.* Barb. *jur. Eccl. l. c. c. 5. n. 90.* Ciartin. *conrov. for. c. 14. n. 19.* & plures alii, quos sequitur Delb. *l. c. n. 2.* juxta clara verba *constit. Greg.* (quidquid aliis sit de jure communi) dum ibi requiritur ad summatus cum effectu ut Suar. Alecia. Menoch. apud Delb. *n. 5.* unde Farin. ait quod hæc opinio post dictam constitutionem omni difficultate careat, vide de his particularibus aliquanto Reiffens. *h. t. à n. 114.* Porro perinde esse, sive occisio fiat ferro, sive veneno, & sic in specie privari aliquem asylo, qui alterū veneno occidit, quia censetur proditor, citatis pro hoc molin. de Just. *d. 24.* Covarr. *l. c. n. 7.* Suar. *l. c.* Castrop. *l. c. n. 29.* Farin. *l. c. c. 9. n. 142.* & quam plurimis aliis, tradit Delb. *l. c. f. 2. n. 1.* qui tamen *n. 5.* bene addit citatis insuper aliis se ita sentire, si præbeatur venenum infcio illo, nulla præcedente inimicitia aut rancore, sed simulatā potius amicitia, eò quod alias proprie homicidium proditorium non sit. Idem esse, dum mater proprium filium occidit, aut alius quis factum animatum per potionem noxiam, tenet Idem. *n. 2.* citatis Remig. *de gonni de immunit. fallent. 14.* Farin. *l. c. c. 8. n. 138.* Pereg. *c. 3. n. 8.* & sic declarasse S. cog. concl. 3. *Decemb. 1632.* refert Barb. *in collect. Bullar. V. immunitas & de jur. Eccl. l. 2. c. 3. n. 42.* contrarium tamen tenentibus Leon. *Theofor. Eccl. p. 1. c. 13. vers. dubitari.* Dian. *p. 3. tr. 1. resol. 71.* Bonac. *tom. 3. d. 2. q. 3. p. 16. §. 8. n. 8.* ex ea ratione, quòd infans non possit dici proprie occidi per insidias dolose, cū dolus in ipsū utpote rationis incapacem committi nequit. **Quæst. 1028. An & qualiter assassinus privetur asylo?**

1. **Resp.** Primò assassinum privari asylo clare patet ex Bulla Greg. XIV. quin & (quidquid sit de rigore juris, cum *c. pro humana. de homicidio in 6.* quod ad id probandum adduci solet, illud convincere non videatur, ut Delb. *c. 16. du. 21. f. 1. n. 1.*) constat de consuetudine communiter recepta & approbata à DD. ut Suar. *l. c. n. 13.* Gutt. *n. 50.* Farin. *l. c. c. 8. n. 118.* &c.

2. Secundò: Assassinium dicitur, dum pro pecunia aliave æstimabili pretio promissa vel accepta occiditur ali. sive fidelis sit sive infidelis, assassino vero tam is, qui pretio conducit aliquem ad occidendum, quam qui pretio conductus occidit. ita Suar. *n. 15.* Gutt. *l. c.* Mascard. *de probat. tom. 1. concl. 138.* Menoch. *de arb. l. 2. centur. 4. cas. 360. n. 42.* Farin. *c. 8. à n. 19.* aliiq; DD. communiter, pro ut hæc omnia declarabuntur in sequentibus.

3. Dicitur itaq; primò: *pro pecunia aliave pretio æstimabili* accepta vel promissa, unde non videtur assassinus, qui precib' aliore respectu inductus, ut vult Villedia, *in polit. c. 3. n. 215.* occidit aliquem. Item qui absq; pretio sibi dato vel promisso, sola spe præmii, vel intentione pro hoc placendi alteri occidit aliquem, ita ut datio vel promissio pretii sit de essentia assassinii Farin. *l. c. n. 130.* Cast. *l. c. n. 34. in fine.* Sperell. *decis 102. à n. 7.* Bajard. *ad Clar. §. assassinum n. 7.* Reiff. *h. t. n. 135.* Delb. *l. c. n. 15.* citatis insuper quam plurimis, sufficit autem promissio; cum ea ipsa sit pretio æstimabilis & pecuniæ æquivalent. Delb. *l. c. n. 8.* cum Mascard. *l. c.* Farin. *cit. c. 8. n. 125.* Gutt. *l. c. n. 20.* & sic pretio æstimabilem ceteri promissione de danda uxore vel officio aliquo, etsi executio talis promissi non sit in potestate promittentis, cum nihilominus promittens ex tali promissione vere remaneat obligatus, procurare, quantum est de se, ut uxor vel officium ei obveniat, quod est pretio æstimabile, tradit cum Decian. *tr. crim. l. 9. c. 3. n. 16.* Delb. *cit. f. 1. n. 12.* contrarium tenentibus æque probabili-

liter Boffio. tit. de mandato ad homicid. n. 35. Dian. p. 6. tr. 1. resol. 11. Farin. &c. In eo verò, num requiratur ut pecunia vel res promissa sit certa specifica & determinata, an sufficiat esse indeterminatam v.g. dicendo: dabo tibi, ut sis futurus contentus: semper adero tibi in necessitatibus tuis: promovebo te vel tuos ad honorifica officia: in eo inquam non conveniunt AA. posterius docent de Franchis. decis. 170. Mastrill. de indult. c. 3. n. 11. Villagutt. de exrens. leg. tit. de crim. ass. n. 8. Delb. cit. f. 1. n. 12. Marc. l. c. n. 12. & plures apud Far. l. c. n. 23. ex ea ratione, quòd talis promissio sit pretio æstimabilis & sic pecuniæ æquivalens, uti id confirmant ex eo, quòd juxta communem sufficit ad constituendam usuram & simoniam, prius tanquam communius & probabilius docent, Farin. l. c. Bald. cons. 383. Letn. l. 1. cons. 249. Peregr. de immun. p. 4. n. 18. Lezan. v. immun. n. 13. Reiffenst. h. t. n. 3. Pluresque alii apud Delb. l. c. ex ea ratione; quòd rei in genere aut incertæ promissio non obliget nec valeat. Arg. l. triticum & l. ita stipulatus ff. de V. O. Item in eo num pretium certum debeat esse in magna & notabili quantitate, an sufficiat exigua, non conveniunt AA. prius requiritur Earin. pr. crim. de homicid. q. 123. n. 43. Pign. tom. 9. cons. ult. 43. n. 32. Ambrosin. de immun. c. 7. n. 9. Dian. p. 6. tr. 1. resol. 11. Gabriel. l. 1. conf. 170. n. 21. eò quòd res vel pecunia exigua ad tantum scelus movere non posset. Verum, licet dato vel promisso levi pretio, non præsumatur intuitu illis esse commissum homicidium, & consequenter occidens reus assassini judicandus non sit, si tamen constet aliquem etiam tali levi pretio adductum ad occidendum, reum esse assassini, bene dicunt Castrop. tr. 1. d. univ. p. 9. n. 34. Haunol. tom. 6. l. 1. n. 222. Delb. l. c. n. 8. Reiff. h. t. n. 134. eò quòd, uti hi AA. parvitas pretii non minuat, sed augeat malitiam assassini dum vita proximi tam levi pretio postponatur, ut a simili patet in simonia. Ac deniq; ad hoc, ut quis privetur asylo propter assassinium, requiritur, ut plene constet, vel per testes, vel confessione partis, pecuniam hac de causa datam fuisse; cum alia de causa dari poterit. Delb. l. c. n. 16. cum Peregrin.

4. Dicitur secundo: occiditur aliquis, siquidem requiritur ad privandum assassinium immunitate; ut effectus seu mors ipsa sit subsecuta, ita ut eà intenta non tamen secuta ex vulnere aliove modo, neq; conducens, neq; conductus privetur asylo. Pignat. l. e. n. 9. citatis aliis. Farin. in append. de immun. c. 8. n. 123. Dian. p. 1. tr. 1. resol. 18. nam sicut Bulla Greg. in aliis delictis non privat asylo, nisi secuta effectu, ita nec in assassinio, estq; communis regula, quòd verba legis poenalis intelligi debeant cum effectu, nisi aliud exprimat. Arg. can. hac antem verba de poenit. dist. 1. Unde jam etiam sequitur, quòd pecunia aliave re conductus ad vulnerandum tantum aut percutiendum non sit assassinus, aut privetur asylo, cum poenæ, quæ loquuntur tantum de interficiente non sint extendendæ sed restringendæ Farin. l. c. n. 134. Decian. l. c. c. 30. n. 41. Masc. tom. 1. concl. 138. n. 2. Dian. l. c. T. u. p. 1. decis. 112. n. 1. Quin & idem est, si conducatur ad occidendum, per accidens tamen præter intentionem suam tantum vulneret. Farin. n. 123. Masc. l. c. Laym. l. 4. tr. 3. n. 9. Suar. Dian. LL. cit. Delb. l. c. l. 3. n. 2. citatis aliis. contra Gutt. q. 97. pract. q. 97. n. 59. Barbof. l. c. n. 97. Bonac. tom. 2. d. 3. q. 7. p. 6. §. 3. n. 6. Sed neque his obstat, quòd talis verè committat assassinium quo ad affectum, etsi non quo ad effectum; in atrocissimis autem delictis puniatur affectus & conatus; nam etsi id procedere quòd ad poenam aliam reperitur forte in jure, non tamen quo ad poenam privationis asyli; cum quo ad hanc potius statutum oppositum, atq; ita talis sit assassinus quo ad poenas statutas in cit. c. 1. de homicidio in 6. non tamen in ordine ad in-

currendam poenam privationis statutam. in Bulla Gregor.

5. Dicitur tertio: sive fidelis sit sive infidelis, nimirum qui occiditur; quia esse infidelem vel fidelem habet se materialiter & impertinenter ad crimen assassini; & infidelis quoq; sit vere proximus. ita Decian. l. c. c. 28. n. 18. Farin. in append. de immun. l. 1. c. 5. §. 4. n. 20. & 21. Peregr. de immun. c. 7. n. 39. Buccer. tr. de homicid. l. 1. c. 3. n. 14. Bonac. l. c. §. 5. n. 9. & alii: quibus inharere videtur Delb. cit. du. 21. f. 2. n. 1. Contrarium tamen satis probabiliter doceri asserens à Covar. l. c. n. 10. Gutt. l. c. q. 7. n. 8. Claro. in pract. §. assassinium. vers. bene verum est. Ambrosin. c. 7. n. 12. Masc. de prob. l. 1. concl. 137. Dian. p. 4. tr. 1. resol. 105. &c. ex eo quòd c. 1. de homicid. expressè dicitur: si quis occiderit fidelem: quæ constitutio facta contra infideles, ne occiderentur ab iis fideles, ad quòd tamen facile responderetur, standum potius recentiori Bullæ Gregorianæ, quæ loquitur simpliciter & indistinctè de occidente aliquem. Idem est, sive conductus occisor sit fidelis, sive infidelis. Tamen enim olim nomine assassinatorum venirent non nisi certi infideles ad occidendos Christianos destinati, de quibus etiam loqui videtur cit. c. 1. hodiè tamen ex consensu DD. & consuetudine veniunt quicumque Reiffenst. h. t. n. 130.

6. Dicitur deniq; assassinium esse tam illum qui conducit, quam qui conducitur ad occidendum. nam licet cit. c. 1. loquatur non de mandatariis, sed de mandantibus, jam tamen ex communi DD. poenæ, etiam privationis asyli, ad mandatoris quoq; adeoq; ad utrosque tam conductos quam conducentes extenduntur. Ambrosin. cit. c. 7. Farin. de immun. q. 8. n. 119. & 185. Delb. l. c. f. 1. n. 6. contra Bocer. l. c. c. 3. n. 4. asserentem, mandantem non esse proprie assassinium, Ceterum assassinium esse, & immunitate privari, qui pecunia aliove æquivalente conductus, tanquam testis falsum deponit, unde innocens ad mortem condemnatus, eaq; illata, idemque esse de iudice, qui taliter corruptus innocentem ad mortem damnavit tradunt Cutell. l. 1. q. 19. n. 14. & 15. Peregr. l. c. n. 42. Delb. cit. du. 21. f. 8. n. 1. & 2. contra Bonacin. l. c. §. 3. n. 42, minus rectè obmoventem, non esse proprie assassinus, quia non occidunt proprie ac physice, nam alias neq; media pecuniâ mandans occidi, esset verè assassinus & poenæ assassini non incurreret, quòd est contra probabiliorè & communiorè juxta jam dicta ac denique vere assassinus, qui exinde privantur asylo, annumerantur à Farin. q. 123. à n. 23. Lezan. v. immunitas. n. 14. Gutt. n. 53. Peregr. l. c. n. 17. Barb. l. c. n. 97. Cutell. de immun. l. 1. c. 18. n. 6. Tusch. lit. E. concl. 10. n. 10. Delb. l. c. f. 6. n. 1. ii, qui receptant, defendunt, occultant assassinium multoq; magis proxenetæ seu mediatores & cooperatores, ut Peregr. Tusch. &c. cum cit. c. 1. expressè illos afficit poenis assassini & Bulla Gregoriana generaliter loquatur de assassinis, modo tamen tales sint vere causæ mortis illatæ per assassinium, cognoverintque assassinium esse eum, cui auxilium præstant, illudque qua talibus exhibeant, contrarium tamen, quòd proprie & rigoroze assassini non sunt, absolute satis probabiliter teste Delb. n. 3. & 4. sentientibus Dian. p. 3. tr. 1. resol. 109. Gambac. de immun. l. 5. c. 34. n. 14. De Marin. resolut. quotid. c. 171. n. 5. Navar. in sum. Bull. lit. de immun. n. 72.

Quest. 1029. An privetur asylo reus haresis?

R Esp. Heretici (multoque magis apostatæ à fide Christiana, cum hujusmodi apostasia hæresin includat, & schismatici, dum schisma est conjunctum cum

cum hæresi) dum ob alia delicta non excepta distincta ab hæresi (ob quæ hæreticum non privat asylo dictum est supra, & videri potest Delb. c. 26. du. 2. n. 3. uti & confirmatur praxi Germaniæ, in qua aliorum criminum aut debitorum reis hæreticis Ecclesiæ tutum refugium præstat) sed si ob commissam hæresin condemnandi & puniendi confugiunt ad Ecclesiæ, non fruuntur illius asylo, ut constat ex Bulla Gregor. expiente ab immunitate crimen hæresis. & consequenter hæreticum solum ratione hæresis, cum verba hæc accipienda sint formaliter, ex ea quoque ratione, quod directe contra Ecclesiæ eventens, quantum de se fundamentum illius; adeoque indignus ejus defensione; quales non sunt aliorum delictorum non exceptorum rei, Extenditur hoc ipsum à Farin. de carceribus q. 28. Decian. L. 6. c. 28. Suar. tom. 1. de relig. tr. 2. c. 10. De Lugo de fide d. 24. Laym. L. 4. tr. 9. c. 3. n. 9. aliisque apud Delb. c. 16. du. 22. n. 1. in fin. ad eos, qui nondum declarati sufficienter hæretici, sed sufficienter præsumuntur tales. unde tales extrahi possent ab Ecclesiæ à sæcularibus, ut à foro Ecclesiastico de super cognoscantur & jucidentur, admittit Delb. l. c. Item ad hæreticorum qualium receptatores, fautores, defensores & quomodocunque auxiliatores, Haun. tom. 6. de 7. & 7. tr. 1. n. 230. Castrop. l. c. p. 9. n. 41. Delb. l. c. n. 9. Wiefn. h. t. n. 124. plurimique alii apud Delb. l. c. contra Gambacur. de immun. L. 5. c. 38. n. 4. juxta quod Farin. in append. de immun. c. 13. n. 175. Dian. p. 1. tr. 1. resol. 38. testantur sic S. inquisitionis tribunalis praxi semper observatum, ut extracti ex Ecclesiæ, tribunalis vel alterius judicis Ecclesiastici examini subjiciantur. Et quidem non ratione dictæ receptationis, favoris, auxilii, sed ratione hæresis, cujus justam suspensionem præbent, eò quod, cum hæresis crimen exceptum, utpote in animo consistens examen requirat, quotiescunque delinquens illius suspensionem incurrit, ob bonum publicum & favorem fidei, ab Ecclesiæ, ad quam confugit, extrahi potest, ut examini subjiciatur, si non de jure saltem de consuetudine, eam post Bullam Gregorianam rationabiliter inducta, cujus contrarium est in aliis delictis exceptis, in quibus suspicio non sufficit, ut reus immunitate non gaudeat, sed extrahi possit, ita Delb. l. c. cum citatis.

Quæst. 1039. An & qualiter rei læsæ majestatis priventur privilegio asyli & qui in ordine ad hanc privationem veniant nomine principis?

1. Resp. Ad primum: Non quidem jure communi spectato (ut cum sarpo de jur. asyl. c. 5. fol. 51. volunt aliqui desumpta ratione à paritate & majoritate homicidii proditorii) sed spectata Bulla Greg. rei læsæ majestatis humanæ committendo in ipsam personam principis actionem positivam ejus damnificativam vel offensivam v.g. occidendo illum, vulnerando, percutiendo, hostiliter insequendo, machinando contra illum, prodendo illum ejusque secreta hostibus, ut capiatur, talesque actiones mandando, consensu & consilio promovendo, easque exercentibus auxilium & favorem exhibendo. secus est de ratum habentibus tales actiones, & delinquentem defendentibus post factum, aut etiam scientibus delictum in personam Principis perpetrandum, & non revelantibus, ut Pereg. l. c. c. 10. n. 11. Delb. l. c. du. 23. f. 1. n. 3. contra Farin. in append. c. 14. n. 186. Mariū. Italia de immun. l. 1. c. 7. §. 7. n. 52. ex ea ratione; quod licet tales ut plurimum sint rei læsæ Majestatis,

non tamen sint rei læsæ majestatis in personam principis utpote quæ particulae posteriores non frustra addita, actionem positivam indicant, qualis non est illa rati habitio, & revelationis omisso, dum omittens speciali titulo obstrictus est principi v.g. ejus consiliarius, unde jam etiam, et si ponant actionem positivam, qui crimen committunt in uxorem, filios, fratres, officiales, proregem, Oratorem, & quemcunque alium, etiam supremum justitiæ ministrum principis eos occidendo, percutiendo, ideoque committant crimen læsæ majestatis, quia tamen non committunt in ipsam personam Principis non privantur immunitate asyli; cum aliàs frustra in constitutione Greg. tam signanter ponerentur verba illa: in personam principis. ac ita docent Pereg. l. c. C. 10. n. 13. Farin. l. c. C. 14. n. 190. Clar. l. c. n. 3. Dian. Ambrosin. Lezan & alii, quos sequitur Delb. l. c. du. 23. f. 4. à n. 1. Quamvis n. 2. addat, sententiam oppositam quam tenent Cutull. & Gambacur (nimirum quod in casu, quo quis occidit fiscolem regium, præsidem justitiæ, vel supremum Magistratū lateri principis assistentem, qui sit veluti pars corporis illius seu faciat unum tribunal supremum cum eo non videri sibi omnino improbabilem. Idem est, seu gaudet adhuc asylo, quia in personam Principis non committunt, qui statuas & imagines Principum, etiam in odium illorum, deturpant & inhonorant, licet alias dicantur committere crimen læsæ majestatis in ordine ad alias pœnas subeundas, Delb. l. c. f. 5. n. 1. Idem n. 3. dicens de iis, qui cudunt falsam monetam vel veram contra editum Principis. Item de iis qui nuncios regis spoliunt, ut sciant arcana regni & secreta regis. Porro sicut hi violantes Majestatis puniuntur morte infami acerbissima, tamen effectus non secutus v.g. si dato mandato vel consilio occidendi, percutiendi, capiendi, mors, percussio, captivitas secuta non est; ita etiam in eo casu privantur asylo; cum verum sit talem commississe crimen læsæ majestatis in personam principis, juxta constitutionem Greg. XIV. Delb. cit. f. 1. n. 3. remittens ad Clarum in pract. §. crimen læsæ majest. n. 16. Farin. & pereg. requiritur insuper ad hoc ut offendens Principem privetur asylo; quod princeps offensus sit princeps offendenti, seu offendens sit subditus ei ratione originis vel domicilii; ita, ut licet delinquens in aliquo territorio sit subditus ratione delicti, non tamen dicatur committere crimen læsæ majestatis, nisi antecederet ad delictum sit subditus ratione domicilii vel Originis principis, ita juxta clarum textum Clement. Pastoralis de appellat. & Gl. Imolam Card. & canonistas ibidem. & in specie Bonac. de LL. d. 3. q. 7. de immun. §. 4. n. 22. Farin. in append. de immun. c. 14. n. 191. Clar. in pract. §. læsæ majest. n. 7. Roland. l. 1. conf. 4. n. §. Ambrosin. de immun. c. 9. n. 6. Pereg. cod. c. 9. n. 8. Dian. p. 1. tr. 1. resol. 7. Gomez. de delictis c. 2. n. 10. Gambacur. Diaz. Decian. & alii quos citat & sequitur Delb. l. c. du. 23. f. 1. à n. 42. contra Cutell. de immun. L. 1. q. 6. à n. 11.

2. Resp. Ad secundum: In genere nomine principis, in cujus personam committentibus statuta est privatio asyli, veniunt omnes & soli, qui supremam nullique superiori subjectam in temporalibus jurisdictionem in suo territorio habent Farin. l. c. c. 14. n. 145. Italia l. c. L. 1. c. 5. §. 7. n. 11. Dian. l. c. resol. 6. Delb. cit. f. 1. n. 35. cum communi. Tales igitur sunt summi pontifex, contra quem committi potest crimen læsæ majestatis, etiam in ordine ad privationem asyli ab omnibus, tam laicis quam clericis, quacunque dignitate fulgentibus; ubique existant, etiam ei in temporalibus non subjecti, quia territorium illius est univ ersus orbis. Delb. l. c. n. 45. Item Imperator. Reges Germaniæ

Hispa-

Hispaniæ, Galliæ, Portugalliæ, Angliæ, Poloniæ, Hungariæ, Siciliae &c. Item S. R. Imper. Electores & Principes, Archiduces, Duces Austriae, Bavariae, Saxoniae, Florentiae, Parmae similesque. Item Magnus Magister ordinis Teutonici seu S. Joannis. Dux Reipublicae Venetae, Fanuensis &c. uti hi memorantur à Clar. l. c. n. 1. Decian. *rr. crim. L. 7. c. 32. n. 7.* Farin. l. c. n. 188. Ambros. c. 9. n. 5. Delb. l. c. n. 36. & aliis passim AA. quia hi omnes in suo respectivè territorio superiorum non agnoscunt. Unde idem est de Marchionibus & comitibus qui plenum jus sine recognitione superioris habent, secus de Principibus, Baronibus superiorem recognoscuntibus, Barb. *inc. 6. b. t. cum AA. citatis.*

3. Resp. ad secundum magis in specie; tamen si nomine Principum in ordine ad dictam privationem alyli juxta probabilem veniant Cardinales quales, etsi capellam necdum à Pontifice acceperint, prout tenent Clar. l. c. n. 4. Peteg. l. c. c. 9. n. 5. Gambac. *de immun. L. 5. c. 44. n. 5.* Cutell. *de immun. L. 1. q. 20. n. 3.* & 12. Dian. l. c. *resol. 20.* cum etiam ex c. *felicis. de pœnis in 6.* & Bulla Pii V. quae incipit in *felicis seculi vers. quicumque.* Crimen læsæ majestatis committant, qui non revelant conjurantes vel machinantes in personam Cardinalis, & eorum fautores & receptatores, adeoque multò magis, qui offendunt personam Cardinalis. Ex ea etiam ratione, quod æquiparentur Regibus, dicantur Principes Romanæ Ecclesiæ, faciant unum corpus & Consistorium cum summo Pontifice, sicutque speciali modo membra illius *cit. c. felicis.* & ut multis juriis citatis probat Clar. l. c. veruntamen, quia quæ tales propriè loquendo Principes non sunt supremi, superiorem non recognoscunt, de quibus tantum loquitur Bulla Greg. neque physicè sed solum moraliter constituunt unum corpus cum Papa, etiam occidentes Cardinalem adhuc gaudere alylo tenet Farin. l. c. c. 13. n. 185. & 192. quamvis addat, in tali casu Prælatum Ecclesiasticum debere Pontificem certiore reddere, & interea eum cautè servare. Idem cum eodem sentire videtur Delb. l. c. n. 41. & probabilius Bullæque conformius videri asserit Reiffenst. *h. t. n. 44.* cujus contrarium non probatur ex *cit. c. felicis.* Sed solum quod tales committant crimen læsæ majestatis; non autem omne crimen læsæ majestatis privat alylo secundum dicta. Idem hoc posterius à fortiori locum habet in Episcopis. Dixi autem reflexè: quæ tales: quia si Cardinalis aut Episcopi similesve Prælati habeant principatus temporales, sive ratione patrimonii sui, sive ratione Episcopatum, in quibus jus plenum habent, ut serè contingit in Germania, ubi sunt S. R. I. Principes, utique veniunt nomine Principum in ordine ad dictum effectum privationis alyli.

Quest. 1031. An præter delicta jam enumerata & expressa in Bulla Gregoriana adhuc sint alia, quæ privent immunitate alyli.

1. Resp. primò in genere negativè, etiam dum sunt atrociora ibi expressis, Farin. l. c. c. 22. n. 353. & 355. Gutt. *99. pract. civ. L. 3. q. 4. à n. 12.* Fagn. *in c. inter alia h. t. n. 36.* Castrop. l. c. p. 10. n. 4. Dian. *p. t. t. 1. resol. 2.* Haun. *Tom. 6. tr. 1. n. 235.* Delb. c. 26. du. 24. S. 1. n. 1. Sperell. *decis. 22. n. 8.* Wiclt. *h. t. n. 130.* Reiffenst. n. 152. cum communissima & tantum non unanimi DD. post dictam Bullam scribentium contra Gamba-
R. P. *Leur. Jur. Can. Lib. III.*

cur. *de immun. l. 5. c. 18.* Portel. *dub. regular. V. Ecclesia immun. n. 15.* Siquidem exceptio firmat regulam in contrarium juxta receptissimam regulam *L. quæsiunt. §. idem respondit. ff. de fund. instruat. L. cum prator ff. de judic.* juxtaque regulam generalem aliam, Lex pœnalis ob identitatem vel etiam majoritatem rationis non est extendenda. Arg. c. *odia. §. c. in pœnis. de reg. jur. in 6.* & *L. factum. cuique. §. in pœnalibus. ff. de R. 7.* uti id ipsum pluribus exemplis ostendit Delb. l. c. S. 3. à n. 6. & in specie in casu præsentate docent apud eundem n. 22. Gutt. l. c. n. 17. & 12. Leo in *thesaur. for. Eccl. c. 13. de immun. n. 27.* & seq. Suar. l. c. n. 15. Farin. l. c. n. ult. n. 353. Germon. L. 3. c. 13. n. 56. Ambrosin. *de immun. c. 1. n. 13.* &c. contra Sarpum, Cutell. Laym. &c. probatur item ex eo, quod in Bulla adjectum sit decretum irritans & clausula: *Sublata aliter judicandi facultate.* Plures confirmationes vide apud Delb. l. c. à n. 8. His non obstantibus, quod olim alia delicta de jure civili caruerint alylo, cum præterquam, quod in materia immunitatis attendenda non sit dispositio civilis, sed Ecclesiastica, citata Bulla in materia immunitatis omnia ad unam formam adhibendo particulam tantum reducere & restringere conata sit. Unde jam ad aliqua, de quibus fortè magis dubitari poterat.

2. Resp. secundò in particulari breviter: Sic itaque non privantur alylo primò adulteri & raptores virginum, etsi illi eo priventur in alylo, de mand. *princ. c. 11.* quia illa correctæ est Jure Canonico, ut constat ex *can. de raptoribus 36. q. 1. c. inter alia.* & Bulla *cit.* & ita Abb. *in c. inter alia. n. 14.* Suar. *cit. c. 11. n. 11.* Delb. *du. 24. S. 2. à n. 1.* contra Clarum. Idem est de desflorante monialem, etiam in ipsa Ecclesia, cum delicta eo ipso, quod sint commissa in Ecclesia non sint de exceptis, excepto homicidio, Dian. *p. 4. tr. 1. resol. 43.* Delb. l. c. S. 9. Secundo Sodomitæ, etiam in terminis juris communis, ut in specie Bonac. *cit. d. 3. q. 7. p. 5. n. 14.* Sanch. *in opusc. Tom. 2. L. 6. c. 1. du. 10. n. 2.* Delb. l. c. S. 7. à n. 1. Novar. *in sum. Bullar. tit. de immun. ubi id extendit, etiam ad Sodomiam commissam in Ecclesia, eò quod constitutio Gregor. illud crimen non excipiat, & si sit gravissimum, & lex pœnalis juxta jam sæpius dicta non sit extendenda.* Tertio fur & quicumque alius sacrilegus Card. *in c. ult. h. t. Tusch. lit. E. concl. 11. n. 16.* Covar. l. c. n. 15. Pereg. c. 12. n. 10. Dian. *p. 1. tr. 1. resol. 17.* Sperell. *decis. 59. n. 11.* Ricc. *p. 1. decis. 1111.* Navar. l. c. n. 4. aliique (qui etiam extendunt ad furantem pixidem S. Eucharistiæ item Castrop. l. c. n. 3. Farin. l. c. c. 16. n. 90. Genuens. *in pr. c. 33. n. 8.* Delb. l. c. S. 8. n. 1. idque ob rationes jam sæpe allegatas. Dum etiam Bulla Greg. expressè solum excipit sacrilegium, quod committitur per homicidium in Ecclesia, non obstante consuetudine, si quæ sit in contrarium, quia ea sublata per Trident. & *cit. Bullam,* quin & post hanc alicubi legitime inductam probabilius, ut ait Delb. n. 8. damnantibus, quos refert Dian. *p. 6. tr. 1. resol. 9.* contrarium nihilominus ob specialem irreverentiam DEO illatam per sacrilegium tenentibus Farin. *de carcerib. q. 24. n. 42.* sibi ipsi contrarius, Decian. *Tom. 2. L. 6. c. 16. n. 7.* Cutell. & aliis apud Delb. l. c. Quartò incendiarius, etsi aliàs æquiparetur depopulatori agrorum. Quintò occidens Clericum vel Episcopum. Sexto cudens falsam monetam. Septimò tributa regia & si cum defraudans aut pecunias reipublicæ in suos usus convertens. Octavo capitaliter bannitus, Nondò perjurus, & falsus testis, Decimò blasphemus

mus & superstitiosus, nisi de hæresi sit suspectus. Undecimò Judex alijsve fruente privilegio asyli extrahens ab Ecclesia, uti hæc omnia astruit Delb. *du. 2. S. 10. & seq.* proque singulis quàm plures citat AA. & ad quorundam contrarium sentientium objectiones breviter respondet, semper inhærens eidem fundamento, nempe, quòd in Bulla Gregor. inter excepta delicta privantia asylo non numerantur, & leges pœnales non sint extendendæ ad alia propter paritatem aut majoritatem rationis.

Quest. 1032. An confugientes ad Ecclesiam rei repelli possint?

Resp. non sunt impediendi violenter, quòd minus ad Ecclesiam tanquam asyllum confugere valeant, aut confugientes ad eam repellendi, sed recipiendi juxta illud: *Pateant summa DEI templis timentibus. L. 2. c. de his, qui ad Eccles. confug. & can. definit. 17. q. 4. & c. inter alia. h. t. ubi, dum Rectores Ecclesiarum confugarum vitam & membra servare jubentur, citra omne dubium etiam aditum ipsis ad illas præcludere eosque repellere prohibentur. Wiestn. h. t. n. 134. cum Haun. Tom. 6. de 7. & 7. tr. 1. n. 272. & communi. Sed neque stylus contrarius, ut nimirum solùm reis leviorum delictorum, non verò reis graviorum pateat asyllum, servatur Romæ, ut perperam testatur Nav. *in man. c. 25. n. 16.* Nam contrarium testatur Farin. apud Delb. *l. c. du. 23. S. 4.* dum ait, se quidem fidem Navarro adhibuisse, sed postquam factus locum tenens criminalis S. D. N. & procurator fiscalis generalis, se hanc corruptelam extrahendi illos in urbe non vigere comperisse; quin & se ipsum practicasse contrarium. Quòd autem is ait de corruptela illos repellendi ab asylo, idem dicendum videtur de corruptela illos ab asylo extrahendi.*

Quest. 1033. Reus in asylo constitutus an, à quo, & qualiter custodiendus?

Resp. primò: in casu, quo liquidè constat crimen non esse exceptum, & confugientem gaudere asylo, nec Rectores Ecclesiæ nec sæculares, nec intra Ecclesiam aliumve locum sacrum reum custodire, multoque minus carcerare possunt aut debent, ne ex asylo fiat carcer, & quia cessat finis custodiendi illum, qui est, ut carens jure asyli legitimè tradi possit curiæ sæculari, & ab ea puniri. Potest tamen potestas sæcularis etiam in hoc casu apponere custodiam extra Ecclesiam locumque sacrum ad præcaendum, ne liberè effugiat, aut, si exeat, facilius capiatur. Farin. *l. c. n. 299.* Bonac. *Tom. 2. d. 3. q. 7. p. 3. n. 1.* Castrop. *l. c. n. 6.* Mar. *Ital. de immun. L. 1. c. 6. §. 2. n. 52.* Haun. *l. c. n. 245.* Reiffenst. *h. t. n. 173.* Delb. *c. 16. du. 29. n. 7.* ex ea ratione, quòd per talem custodiam nulla vis aut injuria fiat loco sacro, ita tamen, ut per hanc custodiam non impediatur accessus deferentibus necessaria constituto in asylo.

Resp. secundò: in casu dubio, aut controverso, num reus gaudeat asylo, multoque magis, ubi constat delictum exceptum esse, adeoque reum non gaudere asylo, potest & tenetur Rector Ecclesiæ alteriusve loci sacri, ad hoc requisitus cautè custodire reum, etiam admittè custodià intra Ecclesiam, & si opus, etiam carceribus & vinculis constringere, donec causa ab Episcopo examineur & judicetur. Anchor. *in c. inter alia. h. t. n. 8.* Decian. *tr. crim. L. 6. c. 26. n. 9.* Tusch. *V. Eccl. conel. 10. a. n. 12.* Farin. *n. 298.* pluresque ab eo citati. Ita etiam, ut

idem cum Tusch. ut Rector Ecclesiæ teneatur de culpa & puniri debeat, si permittat reum elabi. Estque ratio, quòd rei criminis excepti juxta paulò post dicenda extrahi debeant, ut causa per Episcopum examinata & contra reum decisà is tradi possit. Ideoque, si Rectores Ecclesiarum in hoc negligentem, in tali casu controverso reum incustoditum elabi paterentur, multoque magis ei fugæ occasionem præberent, Constitutio Gregor. elideretur in hoc, quo disponit, ut rei criminum exceptorum potestati sæculari tradantur, quin & eidem concedit, ut ipse reum extrahere possit, dum Ecclesiastici requisiti eum custodire recusant. Cæterum in casu dubio aut etiam certo criminis excepti potest sine licentia Episcopi reum in ipso loco carcerare vinculis constringere aliove modo custodire. Castrop. *Haun. l. c. cit. Farin. n. 297. de immun. c. 16. n. 29.* Reiffenst. *n. 175.* juxta quod statuit Bull. Greg. §. 4. ex ea etiam ratione, quòd Judex sæcularis in alieno territorio, quale respectu illius est locus sacer, jurisdictionem aliquam contentiosam exercere nequeat. Arg. *L. extra territorium. ff. de jurisd. omn. jud. Ecclesia* quoque sit in quasi possessione rei, in qua ante decisionem turbari non debet, præsertim per Judicem sæcularem. In casu tamen quo Rector loci sacri defectu tutæ custodiæ aut vitium, imploret Judicem sæcularem, potest potestas sæcularis, non quidem suo, sed Rectoris nomine in ipso loco sacro custodire reum, eò quòd hoc ipso jam Ecclesiastica potestate custodiri censeatur reus. Arg. *L. 1. §. 6. c. de veteri jur. enucl. Bonac. l. c. n. 1.* Covar. *cu. 20. n. 17.* Pereg. *l. c. c. 3. n. 2.* prout etiam juxta paulò ante dicta in casu, quo Rectores Ecclesiarum requisiti reum sufficienter custodire recusarent aut negligerent, potestas sæcularis ex concessione Papæ in *cit. Bulla* possit reum extrahere, adeoque multò magis in loco sacro eum custodire. Hinc dixeram regulariter & de jure.

Quest. 1034. An, & à quo constituto in asylo ministranda alimenta?

Resp. primò, quæ ad victum, vestitum aliaque vitæ necessaria spectant, constituto in asylo subtrahi nequeunt, esset enim hoc ipsum per indirectum extrahere ex asylo, & cogere illum ad tradendum se potestati sæculari. Ita juxta expressum textum *L. presentis c. de his qui ad Eccl. confug. Item can. definit. c. nullus c. contumax. c. mirer. c. id statumus. 17. q. 4.* Abb. *inc. inter alia, Farin. de carcerib. q. 28. n. 9.* Azor. *p. 2. l. 9. c. 8. q. 9. n. 14.* Clar. *§. lesa majest. n. 21.* Suar. *l. c. L. 3. c. II. n. 2.* Delb. *c. 16. du. 29. n. 1.* Unde etiam graviter peccant, ut Host. *in c. inter alia. §. si liber.* Joand. *a. 5. & Fagn. n. 20.* & variis pœnis afficiuntur, tam de Jure Civili *cit. L. presentis.* quàm Jure Canonico *cit. c. definit.* qui oblidendo, prohibendo impediunt, ne eis victus vel vestitus deferatur, & sic reum egredi cogunt, aut fame mori.

Resp. secundò: quòd, si reus ipse propria bona habet ex iis sustentari debet; si verò ea non habet, tenentur ad ejus sustentationem consanguineis, his quoque deficientibus, tenetur supplere Ecclesia; eò quòd æquum omnino sit, ut, dum confugiens ad illam se ejus tutelæ & protectioni committit, ea pro sua in miseris pietate destitutum aliunde vitæ necessariis non derelinquat, & sæculari curiæ se permittere compellat. Abb. *in c. inter alia. n. 28.* Sylv. *V. immunitas. 3. q. 3.* Azor. *p. 2. l. 9. q. 13.*

9. r. Haun. l.c. tr. 1. n. 247. Delb. cit. du. 29. n. 4. Wiesta. h. t. n. 153. cum communi. ita tamen ut si reus bona alibi habeat, sit & maneat obstrictus, in tali casu præsentis solum necessitati subvenire, & non absolute donare præsumatur. AA. citati cum D. Thom. quodlib. 5. a. 7. cogique possit ad præstandam de refarciendo cautionem, antequam exeat, & eo usque detineri ut Delb. l.c. n. 6. etsi omnino sit pauper, licet Ecclesia & Ecclesiasticæ personæ teneantur ei tanquam pauperi subvenire vel de proprio, vel applicando illi aliquid ex deputato ad usus pauperum; cogere tamen cum possit ad laborandum manibus in conventu aliove loco inamini v.g. inferiendum fabricæ, saltem si laborare possit, & id statum ejus non dedecet, & victum aliter comparare nequeat; ne aliis immunitas sit ei occasio otiosi, & Ecclesia pro beneficio detrimentum patiatur AA. citati. Inerim notat cum aliquibus non male Reiffenst. h. t. n. 58. non expedire ut rei propriis destituti mediis diutius morerentur in locis sacris, ne, ut dicitur cit. L. præsentis ipsi per incommodum Ecclesiæ egentium & pauperum expensis alantur; unde Rectores reo suadere possint, ut discedat, si cognoscat & judicent, quod in alio loco aut provincia absque periculo degere valeat, illucque eundem convenientibus modis ducere & dirigere sine periculo possint, nisi aliud circumstantiæ exigant.

Quæst. 1035. Num constituto in asylo auferri possint, quæ is secum illuc intulit.

Resp. cum bonis suis jussè possessis secum illuc illatis spoliari non posse, ita juxta cit. can. definit. Covarr. cit. c. 20. n. 16. Laym. L. 4. tr. 9. c. 3. n. 13. Suar. cit. L. 3. c. 12. n. 3. Farin. Append. de immunit. c. 19. n. 400. Bonac. cit. d. 3. q. 7. de immunit. p. 5. Castrop. l.c. n. 8. Pirh. h. t. n. 49. Delb. l.c. du. 30. n. 1. ubi etiam, quod congregat. super controvers. jurisdict. 13. Jan. 1632. declaraverit, quod contra auferentes ea (etiam arma, saltem non prohibita) à confugientibus ad Ecclesiam procedendum sit, uti à diversis violatores immunitatis Ecclesiasticæ. Quod si tamen bona illata non sint rei, sed aliorum, aut aliis obligata, ea illi auferri possunt etiam probabiliter à judice laico, cum id non sit illi inferre nocumentum, sed potius impedire ne ipse aliis noceat, dum ea auferuntur, ne aliis noceat, uti nec ei nocumentum inferre est spoliare illum armis prohibitis, sed potius auferre illi occasionem nocendi aliis. Ita Suar. l.c. n. 3. Laym. Covarr. ll. cit. Cutell. L. 2. q. 8. Reiffenst. h. t. n. 170. ubi etiam, quod, si ob damnum illatum à reo oporteat fieri restitutionem, ea per Judicem laicum fieri possit de bonis à reo illuc illatis. Item Delb. l.c. n. 2. ubi etiam, citatis pro hoc Covarr. Suar. Laym. ll. cit. Sanch. Tom. 3. opusc. L. 6. c. 1. du. 14. Villalob. Tom. 2. tr. 23. diff. 5. n. 11. & pluribus aliis, quod, si secum ad Ecclesiam rapuerit feminam, hæc ei auferri possit per Judicem sæcularem juxta c. de raptoribus 36. q. 1. verumtamen hæc à Judice sæculari fieri non posse, nisi de licentia Prælati Ecclesiastici, multo probabilius doceri à Pereg. c. 13. n. 5. Dian. p. 6. tr. 1. resol. 8. referente sic decisum à S. Cong. Episcoporum. 30. Sept. 1616. Marant. de controv. Jur. p. 2. resp. 37. n. 1. Castrop. l.c. n. 10. Clarin. in controv. fir. c. 10. n. 16. Novar. l.c. n. 6. Farin. l. c. c. 16. n. 248. qui dicat oppositum procedere de R. P. Leir. Jur. Can. Lib. 111.

Jure Civili, & aliis, quos citat, astruit Delb. l.c. n. 5. ex ea ratione, quod Jure Canonico c. 1. extra h. t. c. 2. cod. in 6. expressè prohibeatur Judici sæculari aliquam jurisdictionem exercere in Ecclesia. Ad quod, quamvis responderi possit dictam ablationem rerum futivarum & armorum prohibitòram fieri à Judice sæculari non per modum jurisdictionis exercendæ, sed per modum facti & juris defensionis naturalis; & quidquid sit, num sententia opposita in puncto juris sit probabilior (in quo plures utriusque sententiæ AA. teste Delb. l.c. n. 7. & 8. consentiunt) censet tamen ipse, quod in praxi sequendum sit, quod superior Ecclesiasticus semper requirendus sit, & ipse hoc præstet, & tunc tandem, si is id præstare renuat, posse occurrere periculo, & dictam ablationem fieri per ministros laicos; cum etiam per constitutionem Gregorianam permittatur reus extrahi à ministris laicis, dum Prælatus Ecclesiasticus extradendum renuit extrahere. Argumento etiam sumpto ex eo, quod Judici non habenti jurisdictionem seu incompetenti, dum defectus est Judicis competentis, permittitur agere, quod ille agere debebat, potius quàm ut privatus sine Judice id exequatur, ut DD. communiter apud Cutell. teste Delb. l.c. n. 10. idque absque eo, quod in tali casu aliqua sequatur irreverentia Ecclesiæ ex tali ministro sæcularium opere, uti ea non sequitur ex eo, quod permittatur in simili casu timoris, ne reus affugiat, aut ab Ecclesiasticis dimittatur laicis captura clerici, præsertim dum non minor irreverentia Ecclesiæ ex eo sequatur, quod reo faveatur in rebus pravis cedentibus in præjudicium Ecclesiæ ipsius & damnum tertii, relinquendo ei arma prohibita & res futivas; cum furis unà cum furto receptio & detentio sit furtum.

Quæst. 1036. An existens in asylo per sententiam adjudicari possit morti, aut damnari ad aliam pœnam corporalem vel pecuniariam.

1. Resp. primo quamdiu existit in asylo neque à Judice sæculari, neque ab Ecclesiastico damnari potest ad mortem, aut pœnam aliam corporalem. Ita juxta c. reum. c. id constitutum. 17. q. 4. & expressè c. inter alia, Abb. ibidem n. 3. Fagu. n. 11. & seq. Sylv. l.c. Laym. l.c. n. 13. §. 5. Suar. cit. c. 12. Azor. l.c. q. 12. Less. de 7. L. 2. c. 29. du. 6. n. 52. Tusch. V. Ecclesia concl. 5. 8. 14. Bonac. l.c. p. 5. n. 8. & plures alii, quos citat & sequitur Delb. l.c. du. 31. n. 3. è quibus Suar. item dian. p. 1. tr. 1. resol. 12. Farin. l.c. c. 21. n. 35. & 336. cum Cl. Innoc. Host. in c. inter alia. Anch. & Card. in Clem. 1. de pœnis & remiss. contra Gambac. Cutell. & alios quosdam qui tradunt non posse interea tali decetni pœnam servitutis, perpetui carceris, exilii aut etiam ut Suar. Triremis; cum hæc pœnæ sint valdè graves & æquiparentur corporalibus; imò ipsarum quasdam excedant. Excipit tamen pœnam servitutis illi præstandæ, cui injuriam intulit Delb. l.c. n. 5. cum Cutell. contra Gambacur. eò quod Canon de raptoribus. 36. q. 1. ubi ea decernitur, specialis sit raptoribus, quin & usu receptus non sit, nequidem de raptu, adeoque multò minùs in præsentem casu. De cætero notant Castrop. p. 2. d. unic. p. 11. n. 11. Haun. l.c. n. 249. Clar. L. 5. prax. crim. §. fin. n. 3.

n. 3. Farin. *de carcerib. q. 28. n. 11. in fin.* Delb. *l. c. n. 11.* derogatum esse responsioni consuetudine in pluribus locis (quæ consuetudo cum sit tantum contra jus humanum, valebit ubique) vi cuius reus ad locum sacrum confugiens citatur à Judice & non comparens pœnâ juris ordinariâ damnatur, quamvis sententia dari executioni nequeat, nisi reus sponte exeat, aut aliàs extra locum sacrum deprehendatur. Quod tamen postremum limitandum: nisi exierit naturæ exonerandæ causâ, ut clarè patet ex *can. de finavit. 17. q. 4.* ubi propterea & in istum finem conceduntur 30. passus in circuitu Ecclesiæ; ex ea etiam ratione, quòd cum ex una parte conservatio vitæ exigat naturæ exonerationem; ex altera parte eam in Ecclesia fieri non patiatur loci sacri reverentia, necesse eam sit fieri extra illam. Est verò contra universalem consuetudinem & praxin, nulloque juris fundamento nititur, quod docent *Sylvest. l. c. Gl. in can. reum 17. q. 4. V. vel ad mortem.* Abb. in *c. inter alia. n. 8.* Jo-and. *ibidem. n. 8.* Archid. *n. 3.* Fag. *n. 12.* Azor. *p. 2. L. 9. c. 9. q. 12.* Decian. *L. 3. conf. 80. n. 9.* aliique relati à Boër. *decis. 109. n. 8.* nimirum, quòd postquam quis semel ob delictum non exceptum confugit ad Ecclesiam, non possit amplius ob tale delictum condemnari ad mortem aliamve pœnam corporalem, ne aliàs illi immunitas parum prodesset. Siquidem videmus passim exeuntes è loco asyli capi & morte affici. Unde tamen non sequitur, immunitatem nihil prodesse; cum existens in loco sacro securus sit, indeque fugâ in alium locum commodum & opportunum sibi possit consulere. Ita Haun. *l. c. n. 248.* Delb. *cit. du. 31. n. 13.* Reiffenst. *b. t. n. 167.* nihilominus non posse exeuntem è loco asyli condemnari ad mortem aliamve pœnam, si existens in asylo fuit condemnatus ad pœnam pecuniariam, eum per latam super crimine sententiam officium & potestas Judicis exspiret. *Judex. ff. de re judic. Castrop. l. c. n. 10.* Farin. in *append. c. 21. n. 34.* Delb. *l. c.* ubi & alios tres casus excipit in quibus extra asylum constitutus non possit damnari ad mortem aliamve pœnam; nimirum, quando fuit extractus ex Ecclesia in casibus non exceptis, sed sine licentiâ Episcopi, ac denique si consignatus ab Episcopo in manus potestatis sæcularis, etiam in delictis exceptis cum cautione impunitatis quo ad vitam, membra aliasve pœnas corporales juxta *can. ad constituimus & can. reum 17. q. 4.* quamvis observet cum Boër *l. c.* Clar. *pr. crim. q. 30. in fine.* Ambrosin. *de immunit. c. 11. n. 6.* quòd casus ille ultimus locum non habeat hodie dum post Bullam Gregor. utpote quæ decernit, reum in casibus exceptis liberè tradendum curiæ sæculari, ab ea puniendum, ac si nunquam ad Ecclesiam confugisset.

2. Resp. secundò: potest tamen reus existens in asylo puniri pœnâ pecuniariâ aliave competente citra pœnam corporalem. Abb. in *c. inter alia. n. 9.* Anchor. *ibidem. n. 2.* Fagn. *n. 16.* Azor. *cit. c. 9. n. 12.* Pith. *b. t. n. 49.* Reiffenst. *n. 168.* Arg. *c. inter alia ubi: super hoc tamen, quòd iniquè fecit, aliàs legitime puniendus: scilicet pecuniãliter & aliter quàm in persona ut Gl. ibidem V. puniendus.* Ad hæc, si per delictum suum damnificavit alium, potest & debet compelli ad illi satisfaciendum per pecuniam aliavè bona temporalia si quæ habet Arg. *can. reum.* unde etiam reo existente in asylo, licitè fit executio in ejus bonis, & si bonis & pecunia caret, aut delictum alteri non sit obnoxium, aliâ pœnâ pœnitentiâli, etiam corporis leviter afflictiva puniri, ut Fa-

tin. *l. c. n. 333.* Castrop. *l. c. n. 9.* Suar. *cit. n. 12.* Quapropter Wiestn. *b. t. n. 157.* ex Fagn. in *c. inter alia. n. 20.* rectè notat, Prælatos Ecclesiarum non raro delinquere, dum ad Ecclesias in monasteria sua confugiens quantumcunque gravium delictorum reos, de liberatione magis quàm de emendatione aut satisfactione læsis præstanta solliciti, eos in totum salvare, ita ut nullam omninò etiam pecuniariam, & moderatam pœnam subeant, nituntur: Porro pœnam illam pecuniariam aut aliam per Judicem Ecclesiasticum imponendam, probabilius & communius sentiunt Farin. *l. c. n. 339.* secutus Hostiens. *Castrop. l. c. n. 10.* iisque inhærens Reiffenst. *b. t. n. 169.* eò quòd ratione loci sacri Judex Ecclesiasticus videatur sortiri forum; nisi tamen reus facta sibi securitate & salvo conducto ad egrediendum & regrediendum, ipsemet accedendo Judicem sæcularem, vellet eoram eo respondere, & cum parte læsa componere; tunc enim Judex sæcularis causam cognoscens & examinans, poterit pœnam pecuniariam competentem imponere ut Abb. *l. c. n. 8. & 9.* Castrop. Reiffenst. *LL. cit.*

Quæst. 1037. Quorum sit cognoscere, num reus gaudeat asylo & qualiter desuper cognoscere debeant?

1. Resp. primo in genere: de hoc cognoscere etiam in casu, quo captus à Satellitibus vero id negent. De quo vide Delb. *c. 16. du. 47.* solius esse Judicis Ecclesiastici extra dubium est, non tantum attenda constitutione Gregor. XIV. sed & Jure communi, tam civili, quàm Ecclesiastico. *c. fin. b. t. c. mensuris. c. ad Episc. 17. q. 4. c. ex parte de V. S. l. pateant. §. hoc vers. L. presenti c. de his, qui ad Eccles. confug.* Siquidem causa immunitatis est Ecclesiastica. At ita cum communiore tenet Germon. *de sacror. immunit. L. 3. c. 16. n. 21.* Guttr. *pract. qq. L. 3. q. 1. n. 5.* Farin. in *Append. de immunit. c. ult. n. 366.* Rodriq. *qq. regul. Tom. 2. q. 51. a. 3.* Lotter. *de benefic. Tom. 1. L. 1. q. 13. n. 96.* Dian. *p. 4. tr. 1. resol. 46.* Barbof. *de jur. sacros. L. 2. c. 3. n. 155.* Delb. *c. 16. du. 41.* S. i. n. 1. contra Suar. de Paz in *pr. Tom. 1. p. 5. c. 3. §. 2. n. 8.* Bobadill. Sarpum & alios quosdam. Neque his obstat, quod opponunt Adversarii, nimirum, quod nemo possit esse Judex in causa propria, adeoque nec Episcopus in causa immunitatis Ecclesiæ seu loci sibi subjeçti: nam hæc est potius causa communis & Ecclesiæ, in qua Episcopum pro sua Ecclesia jus dicere non magis est inconveniens, quàm quod Rector aliùsve beneficiatus dicere possit (uti id eos posse cum aliis tenet Laym. *L. 3. tr. 3. c. 2. n. 5.*) testimonium in causa suæ Ecclesiæ, ac ita Episcopum posse esse Judicem competentem in causa suæ Ecclesiæ, tenet Abb. in *c. ad audientiam de appellat. n. 8.* cum Gl. in *can. Si ergo 2. q. 6.* uti &, quod nemo in causa propria Judex esse possit, præterquam quod cum Gl. in *L. Si quis ex aliena. ff. de judic. V. estimare.* intelligendum dicat Delb. *l. c. S. 2. n. 13.* ne directè quis id facere possit in propria utilitatem ferendo sententiam, illud ipsum pluribus exceptionibus limitat idem à n. 6. estque inter cæteras limitationes & hæc; quod si requisitus à parte rationabiliter dubitet, an potestatem habeat cognoscendi,

scendi, id ipsum ante omnia possit discutere & determinare juxta *L. si quis aliena. ff. de judic. § L. 2. ff. si quis in jus vocatus*. Unde etiam judex ordinarius suborto dubio, num causa ad ipsum delata, sit suæ jurisdictionis nec ne, eo à se cognito, & in partem, affirmativam resolutio, possit ad causam principalem determinandam procedere Arg. c. ad apostolicam. de simon. Neque etiam contrarium sequitur ex eo, quod extrahere reum in casibus exceptis confugientem ad Ecclesiam sit causa secularis, ejusque cognitio spectet ad judicem secularem, cum extractio illa sit quid facti cognoscere autem num ea hic & nunc fieri possit, sit quid juris, quorum prius spectare potest, ad potestatem secularem, & alterum ad potestatem Ecclesiasticam. Neque quod talis cognitio sit mixti fori, evincit consuetudo, si quæ est; cum constitutio Gregor. XIV. revocet omnes consuetudines in contrarium. ita Delb. *lc. num. 20.* remittens ad Tulch. *V. immunitas conclus. 59. à num. 19. Genedum. in 99. can. 9. q. 42. num. 12.* Bonac. *cit. d. 3. q. 7. p. 10. num. 2.* licet addat Delb. quod, si post dictam constitutionem Greg. inducta tenui legitime sit talis consuetudo se non audere illam damnare. & si tale quid fieri sciant Pontifices, idque tolerant, tolerare id non consentiendo & approbando, sed dissimulando ad majora mala & incommoda vitanda cum Farin. *lc. c. 1. num. 15.* & Paciano de probat. *l. 1. c. 29. num. 87.* attribuit Delb. *lc. num. 21.* De cætero quia triplex circa hæc occurrere potest dubium nimirum ratione loci, num is sit sacer, nec ne. circa personam num illa sit laicalis, an verò Ecclesiastica, circa delictum, num illud sit exceptum nec ne.

2. Resp. secundò in specie primò: sic itaque cognoscere num locus sit sacer vel religiosus nec ne, spectat privativè ad judicem Ecclesiasticum ob rationes præcedente quæst. datas. Butr. in *c. cæteram de judic. Covar. 99. pract. c. 33. à num. 1. Gratian. discept. for. c. 190. à num. 11.* Pet. Barb. in *L. Tutia ff. soluto matrimonio num. 28.* August. Barbos. de off. & potest. Episc. p. 2. alleg. 12. num. 3. Oliva. for. Eccles. p. 1. q. 26. num. 21. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. 59.* item Delb. *lc. S. 3. n. 1. citatis Martha de jurisdict. p. 2. c. 50. num. 4.* Pereg. de immunit. c. 15. num. 18. Dian. p. 4. rr. 1. resol. 49. & aliis Arg. c. ex parte. de F. S. ubi, quod, dum agitur utrùm territorium Ecclesiasticum sit violatum, cognitio spectet ad judicem Ecclesiasticum. contra Castrop. de manu reg. p. 1. c. 10. num. 1. Oliban. de jure fisci c. 11. num. 12. Perciram & quosdam alios hoc nixos fundamento; quod cujusvis judicis sit cognoscere, an sua sit jurisdictio, ut de judice Ordinario patere dicunt ex *L. si quis ex alieno. ff. de judic. § L. ex quacunque. ff. si quis in jus vocat.* De delegato autem ex *c. pastoralis § c. super his de rescript.* ad quod tamen fundamentum facile responderetur; quod in dubio, num sua sit jurisdictio, æstimare judex seularis tantum possit, quando materia temporalis seu profana reusque conventus laicus est, eò quod in tali casu in materia & persona intentionem fundatam & jurisdictionem habeat, ut Marth. *lc. c. 5. num. 16.* Wiestn. *lc. qui etiam num. 161.* addit hæc procedere de loco, non tantum, ubi dubium de eo est juris, nimirum num valide & legitime con-

secratus, benedictus, aut ad divina officia deputatus. Sed &, quando dubium est facti, nimirum an, quando, a quò, seu cujus autoritate consecratus, benedictus &c. Potrò eadem, quæ de loco dicta, procedunt quoque, dum dubium est de persona confugientis. ut AA. citati ex iisdem rationibus & juxta expressum textum *c. si judex de sent. excomm. in 6.* ubi etiam Pontifex rationem reddit, nimirum quod sit res Ecclesiastica & spiritualis, de qua, sive sit persona, sive quid rebus spiritualibus annexum v. g. altare, calix resve alià speciali benedictione affecta & cultui divino dedicata seu deputata, si oriatur dubitatio & in judicio deducatur sive principaliter sive incidenter, Judex seularis cognoscere non potest juxta *c. decernimus. c. quanto. de judic. c. tuam, de ord. cognit. c. lator. c. causam. qui filii sint legitimi.*

3. Resp. in specie tertio: dum dubium est num delictum, quod commisit laicus confugiens ad locum sacrum, sit exceptum, cognitio similiter spectat privativè ad judicem Ecclesiasticum. Ita contra aliquos Jurisconsultos (quos à fide orthodoxa alienos aut jurisdictioni Ecclesiasticæ apertè infestos dicit Wiestn. *h. t. num. 163*) cognitionem hanc astringentes privativè curiæ seulari ex ea ratione, quod nemo judex sit in propria; quæ tamen latis diluta in *resp. 1.* Idem contra de Gonnis, de immunit. q. 1. num. 6. & Castrop. *lc. c. 50. num. 41.* sentientes spectare hanc cognitionem tam ad judicem secularem, quam Ecclesiasticum, seu esse fore mixti (contra quod tamen bene dicitur id nulla lege aut ratione evinci, & quod, si esset fori mixti, non spectaret ad utrumque judicem sed ad eum solum, qui præveniret) tum quia, cum agitur de qualitate delicti, simultanea cognitio valde conveniens & in jure fundata, ut dum de crimine hæresis juxta *c. per hoc de hæret. in 6.* simul cognoscunt Inquisitor apostolicus generaliter deputatus & Ordinarius. tum quia in tali casu agitur de de utriusque curiæ seularis & Ecclesiasticæ jurisdictione quæ tamen ratio posterior convellitur textu *cit. c. si judex.* dum ibi agitur de negotio concernente utramque curiam, tam civilem, quam Ecclesiasticam & tamen cognitio soli curiæ Ecclesiasticæ asseritur, quia de re Ecclesiastica & spirituali est, ita inquam contra *cit. AA.* (quod explorati juris sit) tenent Boërius *decis. 109.* Gutt. *99. pract. L. 3. q. 1. num. 5.* Farin. in *pr. crim. q. 28. num. 76.* Guazzin. de defens. reorum. *1. c. 31. num. 3.* Barbos. *jur. Eccles. L. 2. c. 3. num. 155.* quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. num. 165.* juxta expressa verba constit. Greg. & textus juris. *c. meruentes § c. ad Episcopum. 17. q. 4.* ex ea etiam ratione, quod immunitas sit causa Ecclesiastica spectans ad religionem, utpote dicens jus annexum spiritualibus nempe locis sacris, ob quorum reverentiam est inducta *l. present. c. de his qui ad Eccles. conf.* His tamen non obstantibus, observat cum Oliv. *lc. q. 27. num. 21.* Wiestn. *num. 168.* quod, etsi vera judicialis cognitio, discussio determinationeque hujus quæstionis non competat judici seulari, eidem tamen neganda non sit aliqualis cognitio per viam facti pro informatione, ut scire possit, an crimini annexa qualitas adimens immunitatem sicut permissa est ei simplex istiusmodi informatio super clericatu rei, quem captivum detinet, ut sciat an statim

facienda ejus dimissio, an differenda ad magistratum Ecclesiasticum. De cætero hanc cognitionem spectare ad Episcopos, ita ut seclusa delegatione, non competat prælatis inferioribus, non tantum constat ex constitut. Gregor. ubi: *nisi cognitio prius per Episcopum seu ab eo deputatum*, sed etiam ex *can. ad Episcopos, can. si quis contumax. 17. q. 4.* Competere verò eam Episcopis electis tantum & confirmatis, etsi nondum consecratis cum communi & certa contra Mar. Ital. *de immun. l. 1. c. 6. §. 1. n. 88.* tenent. Pereg. *lc. c. 3. n. 34.* Delb. *col. 5. 3. n. 6.* eò quòd illa cognitio sit actus jurisdictionis; Episcopus autem talis necdum consecratus possit omnia quæ sunt jurisdictionis per textum *c. transmissa de elect.* eam capitulo sede vacante (utpote cui competit omnis administratio & jurisdicção Episcopalis ordinaria, ad quam spectat dicta cognitio, quia Episcopo ea non competit ratione ordinis, neque ex delegatione Papæ aut privilegio, sed jure ordinario) uti etiam eam competere vicario generali ex communi tenet Wiestn. *h. t. n. 171.* eò quòd hic vi commissionis suæ & mandati generalis expedire possit omnia negotia & cognoscere de causis omnibus pertinentibus ad jurisdictionem Episcopalem, exceptis iis, quæ speciale mandatum seu commissionem requirere constat ex jure scripto vel consuetudine aut aliunde ut Mandos *ad reg. 24. cancell. q. 6. n. 3.* Garcias, *de benef. p. 5. c. 8. n. 65.* Laym. *inc. 2. de offic. vicar. in 6.* Quin & vicario capiti, sede vacante, ut probabilis Delb. *lc. n. 4.* cum Pereg. *lc. n. 88.* cum, quæ Capitulum eo tempore potest, Vicario suo committere solet.

5. Resp. quartò ut reus tradi, remitti, consignari possit curiæ seculari, non sufficit Episcopum (idem est de eius, Capituliue vicario) cognoscere & judicare delictum exceptum esse ex præsumptionibus & conjecturis rem solùm probabilem efficientibus; sed requiritur, ut cognoscat ex probatione concludente, ita ut probationes sint certæ; etsi summarie, & quam primùm fieri potest, expediendæ. ita Naldus *v. Ecclesia. n. 32.* referens super hoc S. congreg. declarat. Farin. *l. 1. consilior. com. 76. n. 3. & in append. de immun. c. ult. à n. 8.* Ambrosin. *lc. c. 11. n. 4.* Riccius *collect. 1792.* Sanch. *opusc. tom. 2. l. 6. c. 1. du. 11. num. 2.* Gutt. *lc. l. 3. q. 1. n. 56.* Barb. *jur. Eccl. l. 2. c. 3. n. 168.* Dian. *p. 4. tr. 1. resol. 38. & alii*, quos citat & sequitur Delb. *c. 16. dub. 42. §. 1. à n. 1.* contra Riccium *in pr. Tom. 2. resol. 450. n. 3.* Cutell. Gamb. & alios apud eundem quatenus videntur tenere. quòd probatio, quæ sufficit ad torturam super delicto, sufficiat etiam ad declarandum aliquem non gaudere immunitate, Ratio responsionis est, quòd, ut extrahi reus possit, delictum esse exceptum requiritur tanquam conditio necessaria, & de forma legitima extractionis; talis autem conditionis probatio debet esse plena & concludens juxta *L. ius alimentor. ff. ubi pupill. educari deb. l. Lucius. ff. de condit. & demonstr. & ibi Bartol.* Item quòd Ecclesia jus habeat defendendi reum in casibus non exceptis, uti & reus, ne in iis extrahatur; contra quòd jus agitur, & sit utriusque injuria, dum non concludenter, sed probabiliter tantum & præsumptive prælatus cognoscit super exceptione delicti, quia potest in hoc errare & sic privare Ecclesiam & reum suo jure irreparabili, dum interim ad tollendum jus alteri non sufficit

conjectura, sed requiritur plena probatio, ut Bald. *in l. iudices c. de judic. Speculator. ad tit. de off. omni. judic. §. fin. n. 18.* proinde

5. Resp. quintò: Episcopus in hac cognitione servare tenetur ordinem judicium omnesque regulas juris ut Alex. *L. 1. cons. 3. n. 3.* Jason. *in l. fisci legatum ff. delegatis 1. n. 261.* etiam in criminalibus, ubi quoque liberum arbitrium legibus est subiectum. Jason. *n. 24.* Farin. *in fragm. p. 1. lit. A. n. 244.* Menoch *de arbit. l. 1. q. 9.* Delb. *lc. n. 2.* His non obstantibus, quòd in constit. Greg. non præscribitur forma servanda in hujusmodi cognitione, sed generaliter & absolute dicitur: nisi cognitio prius per Episcopum, an reus crimen exceptum commiserit &c. dum ex ratione aliusque juribus citatis, quibus verba illa constit. Greg. non derogant, satis determinatur, talem cognitionem & judicium Episcopi nisi debere probatione concludente. Quòd si verò Episcopus in judicando rerum commississe crimen exceptum, erraverint, & sic dederit licentiam Judici seculari eum extrahendi, idque dein agnoverit, tenetur illum repetere, & judex secularis eundem restituere; cùm error unius alteri, præsertim Ecclesiæ & reo, utpote pro quo favore clamant omnia jura, præjudicare non debeat. ita Delb. *cit. du. 42. §. 2. n. 4. & §. 5.* cum Dian. *p. 4. tr. 1. resol. 34. de Marin. resol. quotid. c. 175. à n. 4.* &c. sicut è contra, si Episcopus erraverit in præjudicium curiæ secularis non tradendo reum criminis excepti, tenetur agnito errore illum extrahere Delb. *lc. n. 6.* Unde etiam Idem *n. 7.* cum Farin. *in append. c. 2. n. 372.* Gambacur. *L. 6. c. 17. n. 3.* Ciartin. *in contro. for. c. 116. n. 68.* contra Dian. *p. 3. tr. 1. resol. 38.* Pereg. *c. 16. n. 33.* & alios censet, quòd tam reus quam judex secularis appellare possit a sententia Episcopi erroneè lata, quòd reus gaudeat, vel non gaudeat immunitate, dum habent sufficiens & rationabile fundamentum appellandi. His non obstante, quòd in constit. Greg. expressè reo prohibetur appellatio, quia ea constitutio non procedit in eo casu, dum satis fundatè & notoriè constat de sententiæ injustitia, in qua locum non habet clausula: *appellatione remota* Ciartin. *lc. n. 69.* Scaccia *de appell. l. 3. c. 2. q. 16. limit. 1. n. 84.* Delb. *lc. §. 3. n. 2.*

Resp. sextò: Judex Ecclesiasticus in hac cognitione non tenetur stare processui factò à Judice laico, ut possit reum remittere curiæ seculari. Farin. *lc. n. 373.* Clar. *§. fin. q. 30. vers. ult.* Ambrosin. *lc. c. 11. n. 3.* Bellet. *in disquis. cler. p. 1. tit. de favor. Cler. real. §. 4. n. 50.* Dian. *p. 4. tr. 1. resol. 112.* Guazz. *de def. reor. tom. 1. def. 1. c. 30. n. 7. & 8.* Ciartin. *lc. tom. 1. c. 10. n. 92.* & plures alii, quos citat & sequitur Delb. *lc. du. 43. §. 1. n. 1. & 2.* ex ea ratione, quòd acta instructoria unius judicis non probent in altero, nisi sint inter easdem personas & in iisdem causis juxta *c. inter dilectos. §. in omnibus de fide instrum. & Gl. in c. 2. de ord. cognit. forum autem seculare respiciat reum ut subiectum jurisdictioni seculari, & talem pro delicto puniendum. forum verò Ecclesiasticum respiciat immunitatem Ecclesiæ, quæ defenditur, adeoque causæ & personæ sunt diversæ. Ad hæc, cui committitur*

causæ

causæ cognitio, ei conceditur facultas sumendi probationes pro tali cognitione juxta *c. præterea de offi. de leg. & l. ubi falsic. de falsis & ibi Gl. v. relaxationes.* unde Episcopus poterit suas probationes assumere, & non stare probationibus Judicis secularis. quamvis posse eum stare processui ab eo facto, si crederet legitime factum, ad conscientiam suam informandum, censeant Lezana & Nald. apud Delb. *lc. De cætero à fortiore procedit responsio, si aliqua esset suspicio contra testes examinatos à judice laico, seu alio modo dubius esset Episcopus; in eo enim casu teneatur non stare processu facto à judice seculari, sed adhibere majorem diligentiam, curando examinari testes priores, aut alios.* Delb. *lc. n. 6. cum Navar. in sum. Bullar. h. t. n. 81.* Quæ in contrarium adduci possent ex brevi Clem. VIII. ad Archi Episcopum panormit. die 6. Febr. 1592, diluta vide à Delb. *lc. sub 43. s. 2.*

7. Resp. septimò: quod spectat ad modum procedendi in hac cognitione, judex in ea tenetur non tantum citare Ecclesiam seu nomine illius promotorum fiscales, ad quem pertinet jura Ecclesiæ defendere, cum directè de ejus præjudicio agatur, ut indubitatum videri astruit cum Farin. *lc. du. 44. s. 1. n. 1.* Arg. *L. de unoquoque ff. de re judicat. l. nam ita Divus, de Adopt. & c. 2. de testibus.* verum etiam reum; cum privilegium immunitatis etsi per se competat primò Ecclesiæ, competit tamen etiam & per se reo, utpote qui invitus extrahi nequit à Prælato Ecclesiastico, & extractus est restituendus. Neque dicas, probationem, an crimen sit exceptum, requiri tantum ad informationem judicis, ut ei constet, an reum possit remittere curiæ seculari, adeoque non videretur necessaria citatio rei. nam citatio rei non est necessaria, si sumus in causis tertio non præjudicantibus, secus, si sumus in talibus causis ita Delb. *lc. s. 2. n. 3.* Præter citationem verò non videntur necessaria libelli oblatio, litis contestatio; tum quia agitur ad cognitionem super qualitate delicti, & non ad pœnam illius; tum quia agitur ex officio, nullo accusatore interveniente, tractarique hæc causa possit summariè & extra ordinem juris, ita Menoch. *de arb. lc. n. 18.* Farin. *in cons. 168. n. 63.* Delb. *dub. 45. n. 1.* Teneatur tamen judex Ecclesiasticus tam reo quam Ecclesiæ concedere dilationes, quæ, ut jura sua defendant, necessaria ei videbuntur: quia aliàs non censeatur delictum plene probatum Ciartin. *lc. c. 10. n. 151.* Speculator, *ad tit. de off. omni. jud. s. n. 18.* Delb. *n. 4.* Nam, ut Idem cum Farin. teneatur processum factum publicare, ne reo vel Ecclesiæ subrahatur potestas sese defendendi, & si quid habet, pro se allegandi.

Quest. 1038. an & quando in asylo constitutus per vim extrahi, aut sponte egressus capi possit?

1. Resp. primò: reus asylo receptus invitus & per vim à nullo extrahi potest, nisi commiserit crimen exceptum, ut expressè habetur *c. inter alia h. t. can. sicut antiquitus. can. miror. c. frater. can. reum. can. definitur. 17. q. 4. l. 2. c. qui ad Eccles. confug. constit. Greg.* Estque violenta extractio omnino irrita & nulla per ipsam dictam constit. habeturque corporaliter extractus moraliter pro non extracto, sed existente in loco sacro, unde Judex eum extra hunc apprehendendo & deti-

nendo moraliter eum extrahere vel injustam extractionem ab alio coeptam continuare censetur. Wiestn. *h. t. n. 136.* posse tamen Judicem secularem incivili violentæ extractionis reum extractum ad carceres & vincula abstrahere, affirmat Suar. *Tom. 1. de relig. l. 3. c. 13. n. 17.* negant è contra valent. *Tom. 3. d. 6. q. 15. p. 1. ad 2.* Genuens *in prax. c. 17. n. 6.* Castrop. *tr. 11. d. unic. p. 11. n. 2.* quos tamen AA. ita cancellandos censeo, ut quidem judex illum incarceratione licitè possit, ignorantia tamen violentæ extractionis sublata teneatur eum asylo restituere, de cætero idem esse de eo, qui gravi & injustè incusso metu v. g. occisionis vel violentæ extractionis ex asylo fugiens intercipitur, cum is moraliter extractus potius sit, quam egressus, tenent Farin. *in append. de immun. c. 2. n. 52.* Haun. *Tom. 6. tr. 1. n. 241.* Delb. *lc. s. 4. citatis aliis.* Wiestn. *h. t. n. 137.* & alii. Arg. *can. constituimus 17. q. 4.* secus, ut iidem, est de metu non ab alio injustè incusso sed propria apprehensione sconcepto. Wiestn. *lc. Delb. du. 25. s. 5. n. 3.*

2. Rep. secundò sponte tamen egredi potest reus & permittit ut capiatur à judice seculari (qui id potest) extra locum sacrum, ad quem egressus, Farin. *in append. de immun. c. 19. n. 306.* Pignat. *Tom. 9. consult. 2. n. 29.* Reiffenst. *h. t. n. 161.* Delb. *c. 16. du. 25. n. 5.* quia tunc nec ipsi reo, nec Ecclesiæ fit injuria, non tamen se offerre potest aut consentire ut capiatur intra Ecclesiam, aut ex ea extrahatur, ita ut taliseductio adhuc sit invalida; eò quod immunitas asyli sit potius privilegium locale, quam personale, cui repugnat adhuc dictaeductio consentiente reo facta, & cui is non secus, ac Clericus privilegio clericali, renunciare nequit, ac ita tenent Pignat. *lc. Castrop. lc. n. 5.* Wiestn. *de jure asyli. p. 5. a. 1. n. 13.* Reiffenst. *h. t. n. 161.* Sed neque egressus ad vicum necessarium vel vestitum aut opera naturæ, quæ in se fieri non patitur reverentia loci sacri, privatur immunitate asyli, ita ut in eo adhuc remanere censeatur; adeoque capi non possit juxta *L. presentem. c. de his qui ad Ecclesiam. & can. definitur 17. q. 4.* & dicta à nobis paulò supra contrarium dicendum, nimirum, quòd immunitatem amittat, & capi possit, qui blandis imdolosis & mendacibus verbis a tertio aliquo, sive occulto inimico, sive alio indifferente, distincto à Judice persuasus egressus est; quia ad huc non passus violentiam, sed sponte egressus censetur, dum sibi suæque imprudentiæ potius imputare debeat, quòd minus circumspecte egerit, credendo istiusmodi verbis Arg. *c. cum dilectus. de his quæ vi metusque causa fiunt* non obstante, quòd ei par talia verba dolosa & mendacia fiat injuria à tertio; cum id judicem non tangit, si ejus interven-tu id factum non fuerit, à quo in eo casu non fit injuria, neque reo neque Ecclesiæ ac ita docent Pignat. *Tom. 1. consult. 100. n. 4.* Farin. *in append. lc. n. 302.* Haunold. *lc. n. 240.* Castrop. *lc. n. 3.* Pirh. *h. t. n. 42.* Nav. *in man. c. 25. n. 22.* Reiffenst. *h. t. n. 164.* Wiestn. *n. 159.* qui tamen addit satis quoque probabilem esse opinionem Dianæ existimantis talem, saltem, si hominis aliàs fide digni mendaci asseveratione inductus fuisset reus, eò quòd talis viri verba æquivalent violentiæ, quæ tamen verba valde improprie æquiparari violentiæ, & ad summum in muliere habere posse locum ait Delb. *cit. l. 5. n. 6.* qui etiam à n. 9. ostendit hanc opinionem Ecclesiæ favorabilem non esse, eò quòd Ecclesia non saveat reis ut reis, sed ut ad se confugi-

entibus, & in se remanentibus. Quòd si verò à tertio verbis dolosis & mendacibus adjecta promissio securitatis v. g. fugam expeditam esse, aut quid aliud mentiendò prætensum, quin & si reus absque promissione impunitatis ab ipso iudice, aliove ab eo ad hoc subordinato ad egrediendum persuasus non amitti ab egrediente immunitatem, eò quòd fraus nemini adeoque nec iudici sæculari in hoc casu patrocinari debeat. astruunt Dian. p. 1. *resol.* 26. Laym. L. 4. *tr.* 9. c. 3. n. 13. Haunol. Pirh. LL. *cit.* quos citat & sequitur Reiffenst. n. 165. idque multò magis, si ipse iudex impunitatem promiserit; cum tunc Iudex stare debeat sua promissione & securitatem præstare Nav. *lc.* Genuens *lc.* c. 17. n. 5. Barb. *jur. Eccl.* L. 2. c. 3. n. 54. Azor. p. 2. L. 9. c. 9. q. 11. Wiestn. h. t. n. 138. Sanch. Tom. 2. *conf. mor. s.* 6. c. 1. du. 12. Delb. *lc.* n. 13. cogique possit ab Episcopo (intellige censuris) ad hanc securitatem promissam servandam, aut remittendum reum ad locum asylo, ut AA. *idem* & in specie Delb. *lc.* du. 26. n. 4.

6. Dixi in responsione, quod extrahi nequeant ex asylo, nisi crimen exceptum commiserint, nam dum constat confugas commississe tale crimen, ex voluntate Ecclesiæ, eum invitum extrahere potest curia sæcularis, cum tunc reus non habeat jus ad immunitatem Ecclesiæ, & ea illum tueri non possit. ut cum communi Delb. c. 16. du. 22. non tamen sine licentia Episcopi, ejusve officialis (id est, Vicarii generalis. Arg. Clem. 2. *de rescriptis*) uti clarè habetur in Bulla Gregor. ubi unice subjungitur limitatio his verbis: *nisi in eo casu, quo ipse Episcopus & dicte persona Ecclesiastica requisita illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut captivum & incarceratione assistere recusaverint, tumque reverentia Ecclesiæ & sacris locis debite memores, prædictos delinquentes minori, quòd id fieri poterit, scandalo & tumultu extrahere curent. &c.*

Quest. 1039. An, quando, qualiter, & à quo rei recepti in asylo curiæ sæculari extrahi & consignari possint?

1. **R**esp. primò de reis commissi criminis ex recepti juxta jam dicta dubium non est, illos non tantum ab Episcopo, sed ab inferioribus Ecclesiarum, ad quas confugerunt prælatis & Rectoribus tam regularibus quam sæcularibus posse, & ab eisdem ad hoc requisitis debere extrahi ut constat ex claris verbis *cit. Bullæ.* §. 3. idque etiam absque eo, quòd dicti Rectores exigant, aut curia sæcularis præstare teneatur juramentum de non infligendo eis pœnam mortis aliamve corporalem, aut etiam circa hoc protestentur cum in citata Bulla nullius juramenti, cautionis, protestationis fiat mentio, sed potius insinuetur contrarium, dum dicitur, id eos posse sine ulla irregularitatis alteriusve censuræ nota, & ita tenent Farin. *lc.* c. 22. n. 343. Castrop. *lc.* n. 3. Bonac. Tom. 2. d. 3. q. 7. §. 7. n. 12. Basard. in addit. ad Clarum q. 30. n. 25. quos citat & sequitur Reiffenst. h. t. n. 181. juxta praxin & receptam consuetudinem, quamvis autem ad talem extraditionem factam ab inferioribus rectoribus requiri adhuc licentiam Episcopi, astruant Castrop. *lc.* Bonac. *lc.* n. 4. Haunol. *lc.* n. 266. inquit nihilominus Reiffenst. n. 183. Stando juri & manendo in terminis cit Bullæ (utpote quæ, dum §. 4. & 5. dictam licentiam requirit non tam de extraditione quam de extractione loquitur, nulla fa-

cta mentione extraditionis) contrarium esse probabile, ubi cerèd constat de commisso crimine excepto, ubi verò de hoc dubium est, num criminis de exceptis, non poterunt dicti rectores hanc extraditionem facere curiæ sæculari sine requisitione & licentia Episcopi, utpote ad quem tanquam Judicem legitimum pertinet super hoc decernere.

2. **R**esp. secundò: etsi olim seu de jure antiquo Rectores Ecclesiæ poterant in asylo constitutos extrahere curiæ sæculari, promissa sub juramento immunitate. Arg. c. *desinivis. & c. id constitutum* 17. q. 4. hodie tamen post Bullam Greg. etiam recepto dicti juramento, non posse Rectores Ecclesiarum invitum extrahere tenent Farin. *lc.* n. 344. Haunol. *lc.* n. 242. Castrop. *lc.* c. 13. n. 2. apud Reiffenst. h. t. n. 178. iis inhærentem. eò quòd in *cit. Bulla* extrahitio in delictis exceptis tantum concedatur dictis Prælatis, bene tamen eos extrahere possunt, si reus ipse sponte exire velit ad tempus, v. g. ut citatus coram iudice respondeat, vel se purget, aut cum parte læsa componat, aut aliud quid expediat, modò prius agat cum Iudice sæculari ut is securitatem & liberum regressum unà cum salvo conducto promittat; sic enim sine periculo exire & causæ suæ invigilare poterit, cum, ut dictum, Iudex tali promisso stare tenetur juxta dicta, Quin &, si absolute sine tali facto sibi promisso exire velit committendo se clementiæ Judicis, poterit illum Rector Ecclesiæ dimittere etiam sine licentia Episcopi. ita Reiffenst. n. 179.

Quest. 1040. An & qualiter reus defendere se possit contra iudicem tentantem se extrahere è loco sacro extra casus exceptos.

1. **R**esp. potest reus uti & Ecclesia resistere, seque defendere; cum utriusque fiat injuria, siquidem vim vi repellere & immunitatem Ecclesiasticam defendere licitum, ita Farin. *lc.* c. 2. n. 46. Dian. p. 6. *tr.* 1. *resol.* 32. Suar. *cit.* L. 3. c. 13. n. 4. Laym. L. 4. *tr.* 9. c. 3. n. 14. Delb. *lc.* du. 32. n. 17. potestque reus, si clericus non est, uti ad hanc defensionem armis, Ecclesia verò ocludendo januas, & & quælibet media externa adhibendo, sine armis, utpote quæ sumere, saltem ut Clerici illius utantur eis, illi non licet. quamvis ordinarius modus defendendi immunitatem Ecclesiasticam, arcendique Iudicem ab iniqua violentia sit, uti contra eum censuris Ecclesiasticis, præsertim intentando & ferendo in eum excommunicationem. ita Abb. in *c. inter alias.* t. n. 62. Covar. L. 2. *var. c.* 20. n. 18. Haunol. *cit.* *tr.* 1. n. 250. Suar. *lc.* n. 4. & 6. Laym. *lc.* n. 4. & 14. Cutell. *de immun.* l. 1. q. 37. Delb. *lc.* à n. 3. Wiestn. h. t. n. 143. & 144.

Quest. 1041. an & qualiter & cui Ecclesiæ reus iniquè extractus ex asylo aut malè traditus restituendus & quomodo in eo casu cum extractio procedendum?

1. **R**esp. primò: Reus criminum non exceptorum à quocunque è loco sacro extractus ante omnia restituendus cum omnibus, quæ illius sunt, extrahensque ad restitutionem compellendus per excommunicationem. Abb. *lc.* n. 35. Tusch. v. *Ecclesiæ concl.* 10. n. 20. Fsgn. in *c. inter alia.* n. 10. Barbos. in *can. sicut.* 17. q. 4. n. 2. Delb. c. 16. du. 33. n. 1. remittens ad Less. l. 2. c. 29. du. 6. n. 52. & Clarum in pr.

in pr. crim. q. 30. cum communi canonistarum iuxta c. inter omnia h. t. c. conuenerunt, c. item cum quis de restituit. spoliator. can. sicut antiquitus can. miror. 17. q. 4.

2. Extenditur responsio primò, ut extractus post extractionem in manibus Curia secularis existens statim ac quamprimum restituendus; cum Judex secularis semper sit in obligatione restituendi & injuriam factam Ecclesiae quam primum compensandi, ut pote quae prior est tempore, & sic potior in jure. Unde Judex reum detinere non potest ad eum puniendum propter alia delicta, etiam commissa post extractionem. ita Farin. l. c. c. 2. n. 49. Peregr. c. 15. n. 25. Bonac. Tom. 2. d. 3. q. 7. p. 4. n. 13. Genuens. in pr. c. 17. n. 2. Dian. p. 6. tr. 1. resol. 32. Delb. l. c. n. 3. Wiestn. b. t. n. 147. quin etiam id ipsum de facienda statim restitutione valde probabiliter extendunt Peregr. l. c. n. 21. de Gonnis tr. de immun. q. 15. & alii quibus consentire videtur Delb. l. c. n. 4. ad casum, in quo Judex reum criminum exceptorum extraxit contra formam prescriptam in Bulla Gregor. XIV. v. g. extrahendo illum causam necdum cognitam, vel sine licentia Episcopi; quia in eo casu Judex adhuc violat immunitatem Ecclesiae, quae etiam contra eum agere potest de spolio. ut Tusch, Lit. E. concl. 10. citatque ab eo. Estque talis extractio juridica nulla iuxta c. Bullam, ideoque ex ea nullum jus ad retinendum reum Judici acquiritur.

3. Extenditur secundò, ut ab illa restitutione facienda non excusetur Judex, etsi juramentum & cautionem praestet de morte alicuius poena corporali illi non infligenda; quia prius & ante omnia Ecclesiae spoliata restituenda. Farin. l. c. n. 50. citatis Turcrem. Sylv. Angelo. item Covar. l. c. n. 6. Decian. l. 6. c. 25. n. 1. Suar. cit. c. 13. n. 6. Dian. l. c. Villalob. in summ. Tom. 2. tr. 59. diff. 8. n. 4. Delb. Wiestn. l. cit.

4. Tertio, ut non deobligetur Judex ab ea restitutione etiam si extractus violenter, detentusque à Curia seculari in carceribus, ibidem renunciet privilegio immunitatis quia, ut dictum supra ei privilegio immunitatis; renuntiare non potest, ita contra Barb. de jur. Eccl. l. 2. c. 3. n. 58. Salgad. de Bull. Pontif. p. 1. c. 3. n. 64. & alios quosdam. Farin. l. c. c. 19. n. 304. Peregr. l. c. n. 22. Suar. l. c. n. 11. Castrop. l. c. n. 5. Maitril. l. 2. decis. 169. Delb. l. c. n. 5. idem n. 6. cum Peregr. Decian. Dicens de eo, qui adhuc existens in loco sacro fecit hanc renuntiationem; eò quòd, licet post eam factam liberè exire possit, ut capiat, consentire tamen nequit, ut à laica potestate extrahatur. Item n. 7. cum iisdem nomina Episcopi in carceribus Judicis secularis detinetur; quia neque is interim, dum agitur, an commiserit delictum exceptum, renunciare potest; cum fieri possit, quòd extractus fuisset in casu, in quo immunitas sacro loco concessa fuisset.

5. Quarto, ut non excusetur Judex, esto petierit terminum ad probandum reum commississe delictum exceptum; imò etsi id probaverit per confessionem rei; eò quòd non fuerit servata forma Bullae, sufficiensque non sit illa probatio; cum agatur de praesudicio solius rei, sed & Ecclesiae procedatque regula, quòd spoliatus ante omnia sit restituendus. ita Delb. n. 9. cum Genuens. in prax. curia Archiep. c. 22. n. 6. Suar. de Gonny &c. Atque ita Ecclesia spoliata jure detinendi reum prius restitui debet in sua possessione, & dein tractari, an legitime possideat.

6. Resp. Secundò: Reus non necessario restituendus eidem numero Ecclesiae, ex qua extractus, sed satis sit injuria illata illi Ecclesiae restituendo eum

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III.

alteri cuicumque Ecclesiae vel monasterio, modò æquè tuta sit & commoda reo, & id specialiter Ecclesiae violatae non interest. Siquidem privilegium immunitatis unicum est omnium Ecclesiarum, & sic injuria uni facta censetur illata omnibus; cum immunitas non magis respiciat hanc quam aliam Ecclesiam, utpote concessa in universum omnibus, ita Farin. l. c. c. 2. n. 48. Bonac. cit. q. 7. p. 3. n. 14. Castrop. l. c. n. 13. Haunold. n. 252. Wiestn. b. t. n. 148. Delb. l. c. dub. 33. n. 11. (qui id à simili confirmat; dum qui homicidium in una Ecclesia commisit, potest etiam in alia Ecclesia capi, & ad carceres abstrahi à potestate laica; cum sit crimen exceptum respectu omnium Ecclesiarum, adeoque in nulla gaudent alylo, qui committit illud) contra Dian. p. 6. tr. 1. resol. 29. & Barbof. l. c. c. 3. n. 54. Potestque proinde fieri restitutio hæc Episcopo ejusque Vicario; non secus ac poena pecuniaria imposita pro offensa Ecclesiae ob violatam immunitatem per violentam extractionem solvi potest Episcopo iuxta can. Si quis contumax. 17. q. 4. cum Episcopus representet Ecclesiam, eique cura incumbit servanda immunitatis per can. scire debes 17. q. 1. & ita docent Farin. l. c. Bonac. l. c. p. 55. Delb. n. 12. ceterique AA. citati. non obstant declaratione S. Cong. immunitatis de anno 1632. quam pro se assert Barbof. dum ei non necessario standum, quòd de ea non constet authenticè, dicit Delb. l. c. n. 19. vel intelligenda sit de casu, in quo restitutio facta non est in loco æquè tuto & commoda reo, ad quem extractus injuriam passus jus habet. Nihilominus contrarium, nimirum quòd eidem Ecclesiae fieri debeat restitutio, nec fieri possit alteri Ecclesiae, aut etiam Episcopo sine dispensatione Papae, cum Pignat. Tom. 1. consult. 172. an. 4. Turcrem. & Archid. in c. miror. 17. q. 4. tenet Reiffent. h. t. n. 202. & multis congestis declarationibus S. Cong. immunitatis firmat, quas omnes dicere non esse authenticas, non videtur esse tutum. diluere quoque conatur rationem pro responsione allatam dicendo, quòd, licet in aliquo sensu dici queat, immunitatis privilegium esse unicum, dici tamen debeat competere uni independentem ab alia & independentem ab alia offendi & violari; cum aliàs etiam dici posset, quòd Ecclesiam una per pollutionem violatam satisfiat, si alia Ecclesia reconciliaretur; quae refutatio num satisfiat, lectori considerandum relinquo. Porro facienda hæc restitutio publicè & solenniter ut cum Pignat. n. 7. & Peregr. c. 15. n. 26. Reiffent. n. 208. eò quòd sicut per injuriosam extractionem fuit facta publicè injuria Ecclesiae, populusque publicè scandalizatus, ita etiam requiratur publicus poenitentiae actus correspondens publico delicto & tollens publicum scandalum Arg. c. filius. §. illud autem de poenis. & quidem fieri debet per eos, qui extraxerunt, unde ut cum Pignat. l. c. n. 10. Reiffent. n. 209. non sufficit excarceratio & demissio extracti, sed debet reponi in Ecclesia, à qua extractus.

7. Resp. Tertio: cum extractio rei extra casus exceptos sit irrita iuxta c. Bullam, dictaque à nobis paulò supra plurimos pro hoc citatos à Delb. du. 34. AA. non poterit Judex secularis in hoc casu reum incarcerare vel torquere, aut quicquam judiciale in reum exercere; cum ad id requiratur, ut prius in eum jurisdictionem acquisiverit, quam certè per talem iniquam & sacrilegam capturam & extractionem non acquisivit. Unde eam secutus processus juridicus, utpote carens fundamento, omniaque ex illo secuta sunt irrita, ut Suar. Laym. Bonac. Delb. alique l. cit. adeoque nec Judex juridicè interrogare potest reum, aut is interrogatus ei ad mentem re-

C c c c c

spondere,

spondere tenetur. Ad hæc illegitimè extrahens vel contra extractum ulterius procedens tenetur ex iustitia compensare reo vel ejus hæredibus omnia damna, quæ ex tali extractione & actis contra eum post extractionem reo contigerunt. Delb. *l. c. n. 6.* & 7. remittens ad Valentiam. *Tom. 3. D. 6.* & 15. p. 1. q. 2. Sanch. *Tom. 1. conf. L. 3. c. univ. du. 17.* Laym. *l. c. Farin. l. c. c. 20. n. 221.* & de *carceribus. q. 28. num. 5.* Suar. *c. 13. n. 15.* Ambros. Sylv. Peregr. & plurimos alios, qui etiam Arg. *c. conquirente de restit. spol.* aliorumque jurium tradant, non debere absolvi illegitimè extrahentem, nisi prius restituerit Ecclesiæ extractum. reoque ejusve hæredibus refecerit omnia damna & interesse. Sed & in casu extractionis per judicem sæcularem, aut extraditionis per Rectores Ecclesiarum, reorum criminum exceptorum causâ necdum cognitâ, vel sine licentia Episcopi, nequeunt statim duci ad carceres sæculares multoque minus puniri, sed ad carceres curiæ Ecclesiasticæ reponi debent, & ibi sub custodia tuta detineri, nec curiæ sæculari resignari, nisi prius per Episcopum vel ab eo deputatum causâ cognita juxta expressa verba Bullæ Gregor.

Quæst. 1042. Qualem culpam & pœnam incurrant violantes immunitatem per illegitimam extractionem, & quinam pro talibus habeantur.

1. Resp. Ad primum: Injusta extractione è loco sacro contrahitur culpa injustitiæ contra reum extractum; quia spoliatur jure suo, quod habet ad securè remanendum in asylo, sed & committitur gravissimum sacrilegium; quia continet gravem irreverentiam contra sanctitatem loci Deo divinoque cultui dedicati, seu, ut loquitur S. Augustin. *Sermon. de dedicat.* grandem injuriam religionis & divinitatis offensam, atque ita constat ex *can. sacrilegium. c. siquis. c. reum. c. deservit. c. minori. c. frater. 17. q. 4.* & *l. presenti. c. de his qui confug. ad Eccl.* & probatur à D. Tho. *2. 2. q. 99. a. 2. ad 3.* ex gravissimis pœnis sub quibus prohibetur hæc impietas. Item ex horrenda vindicta divina, quâ sæpe castigata est, ut videre apud Baron. *ad annum Christi 465. à num. 2.* & Leon. *Thef. fori Eccl. p. 1. a. 13. à n. 35.*

2. Resp. Ad secundum; Jure civili *cit. l. presenti.* pœna capitis istiusmodi violatoribus immunitatis asyli statuitur, quia *c. fidei. de his qui conf. ad Eccl.* tenentur rei læsæ Majestatis, dum ab iis usurpatur jurisdictionis summi pontificis, cujus solius autoritate & licentia existens in asylo loci sacri extrahi potest. Cui tamen pœnæ non receptione seu non usu derogatum esse passim notant AA. Suar. *cit. c. 13. num. 6.* Bonac. *l. c. n. 5.* Clar. *§. fin. q. 30.* Decian. *l. 6. c. 18. n. 4.* Delb. *c. 16. du. 35. S. 1. n. 3.* Ex Legibus tamen Caroli IV. incurrunt infamiam, inhabilitatem ad consilia publica & privationem bonorum. De jure canonico constituta imprimis multa pecuniaria, aliquando 30. solidorum. *can. siquis contumax.* aliquando 30. librarum auri. *can. quisquis. 17. q. 4.* quam pœnam judex juxta *cit. canones* moderari poterit aut etiam loco illius imponere pœnitentiam publicam, pensatâ delicti qualitate & delinquentis conditione, sed neque hæc pœna pecuniaria antiquata est, ut volunt Clar. *l. c. Decian. l. c. c. 28. n. 8.* citati- que ab iis, cum Trident. *sess. 25. c. 20.* & Bulla Gregor. innovent omnes pœnas antiquis canonibus lætas contra violatores immunitatis. Ad hæc pœnâ illâ dum in Ecclesiæ cultum, uti de jure debet, applicatur, efficacius satisficit Ecclesiæ; ac ita tenent Tusch. *V. Ecclesia. concl. 8. n. 11.* Farin. *l. c. c. 20. n. 319.* Am-

brof. *l. c. c. 15. à n. 1.* Bonac. *l. c. p. 6. n. 5.* Delb. *l. c. n. 9.* His non obstante Bulla Pii IV. prohibente, ne Judices Ecclesiastici puniant laicum pœnâ non spiritali; cum illa constitutio ab ejus successore Pio V. redacta ad terminos juris communis, ut notant Farin. *in pract. crim. q. 8. n. 156.* Sperell. & alii apud Reiffenst. *h. r. n. 212.* Dein statuta iis pœna excommunicationis. *can. licet antiquitus. c. miror. c. frater. c. deservit. c. id constituimus. 17. q. 4.* quibus tamen juribus excommunicationem non esse latam ipso jure seu facto, sed ferendam & comminatoriam sub conditione, si violator reum non restituat, & satisficiat Ecclesiæ, censent Sylv. *V. immunitas. 3. q. 8.* Suar. *l. c. n. 3.* Farin. *l. c. c. 20. n. 312.* Peregr. *de immunit. c. 25. n. 3.* Zerol. *in pr. Episc. V. immunitas. vers. 24.* quibus censent Delb. *l. c.* Unde etiam spectato jure communi, nullam censuram lætæ sententiæ tali crimini violationis immunitatis annexam putant Socin. Turrecrem. Goffred. & alii apud Farin. *l. c.* quod idem esse spectatâ Bull. Greg. censent judicam, eò quòd in Bulla illa innoventur solum pœnæ juris antiqui, quæ omnes per sententiam infligendæ erant. Verùm hujus posterioris contrarium sive excommunicationem illam jure moderno, nimirum juxta Bullam Gregor. XIV. esse lætæ sententiæ, seu ipso jure & facto inferri (dum in Bulla expressè habeantur hæc verba: *ipso facto.* quæ, si excommunicationem ipso facto non inferrent, superflua essent, & nihil novi inducerent, cum excommunicatio ferenda jam habeatur *cit. c. sicut antiquitus. c. frater. c. deservit.* longè probabilius tenent Farin. *in append. l. c. n. 313.* Dian. *p. 6. r. 1. resol. 34.* Marius Ital. *de immunit. l. 1. c. 6. §. 2. num. 29.* Bonac. *l. c. p. 6. n. 5.* Thesaur. *in pr. p. 2. V. immunit. c. 1.* Delb. *l. c. n. 10.* Castrop. *p. 12. n. 3.* Haunol. *Tom. 6. de 7. & 7. r. 1. n. 256.* Wiestn. *h. r. n. 179.* allegantes pro se declarationes Clem. VIII. & Pauli V.

3. Resp. Ad Tertium: Pro violatoribus in ordine ad dictas pœnas, præsertim excommunicationem, ipso facto (quâ clausulâ, non tantum juxta communem DD. sed & juxta praxin & stylum curiæ, quilegem facit, illatæ pœnæ & censuræ censentur esse lætæ sententiæ, ut Reiffenst. *n. 215.*) incurrendas habentur omnes & singuli, quacunque autoritate præditi, non solum, qui extrahunt reum criminis non excepti, sed etiam notoriè reum criminis excepti, non servatâ formâ seu dispositione Bullæ Greg. v. g. sine licentia Episcopi vel cum ea, sed sine intervenitu personæ Ecclesiasticæ ad hoc ab Episcopo deputatæ, pro ut exigit *cit. Bulla.* ita Farin. *l. c. n. 325.* Genuenf. *in prax. c. 22. n. 9.* Idemque dicit Delb. *l. c. n. 16.* citato Gamb. *de immunit. l. 8. c. 10. n. 8.* de ministris, qui notoriè reum criminis excepti, in casu, dum Episcopus renuit concedere licentiam, extrahunt cum magno scandalo & tumultu v. g. infligendo vulnera, quem aliàs sine scandalo illæsum commodè extrahere potuissent. Item *n. 17.* de eo, qui captum & extractum de licentia Episcopi vel etiam eâ denegatâ, in casibus exceptis reponunt in carceribus curiæ sæcularis; quia Bulla præscribit eum reponi in carceribus Curiæ Ecclesiasticæ; quamvis addat, id limitari à quibusdam hac ratione; si ministri curiæ sæcularis autoritate & nomine proprio id faciant; secus, si eum reponant in propriis carceribus nomine Episcopi, ut ibi tutius custodiatur; eò quòd tunc reponi censeatur in carceribus curiæ Ecclesiasticæ, quam tamen opinionem in praxi non facile à se amittendam ait.

4. Secundò excommunicationem adhuc incurrun-
runt, qui solum tentant capere, extrahere, incarcerationem, effectu non secuto. v. g. dum ingressi eo
sive

sine in Ecclesiam, monasterium aliumve locum sacrum, reum perquirunt, etsi eum non inveniunt; vel qui inventum ob resistentiam corporalem factam à reo vel Rectore Ecclesiæ extrahere non potuerunt. Vel qui animo capiendi seu extrahendi reum manus violentas admovent januæ loci sacri, etsi ob resistentiam eam aperire & intrare non potuerint. ita cum Gloss. in *L. fidei. c. de his qui ad Eccles. confug. V. tentaverint*. Farin. *l. c. n. 321*. Dian. *p. 1. tr. 1. resol. 15*. Pereg. *l. c. n. 7*. Decian. *tr. crim. l. 6. c. 27. n. 5*. Galtrop. *l. c. p. 12. n. 5*. Wiestn. *n. 180*. Reiffent. *n. 217*. juxta *l. 2. l. pateant. c. de his qui ad Eccel. conf.* Aliqua jura civilia, quibus etiam conatus seu attentatio effectu non secuto expressè sub dictis pœnis prohibetur, ac juxta verba Bullæ, qui contra tenorem constitutionis attentare præsumperit.

3. Tertio etiam illi qui reum capi, extrahi, incarcerari, mandant, etiam effectu non secuto; cum effectus intentus ejusque executio potius imputetur autoritativè mandanti quam mandatorio seu executenti Arg. *c. ut fama. §. laici. & c. mulieres. de sent. excom.* talesque vel maximè contra dictam Bullam attentent; quæque modicum vel nullum effectum haberet, si mandantes Principes, Judices ac potestates sæculares immunes essent à dictis pœnis, dum illi plerumque executionem committant hominibus simplicibus & ignaris, mandato resistere non audentibus. De quibus solis verba illa Bullæ: *Cujuscunque sint autoritatis*, intelligi nequeunt Delb. *l. c. n. 27*. citatis alii Reiffent. *h. t. n. 219*. Extenduntur hæc ad laicos mandantes occidi reum in Ecclesia ad quam confugit. Squillante *de obligat. Cler. p. 5. du. 14. n. 90*. Novar. *de elect. fori Tom. 2. p. 2. q. 14*. Naldus in *annot. pract. ad jus can. fol. 61*. Delb. *du. 37. §. 1. n. 1*. Wiestn. *h. t. n. 18*. & seqq. ubi id pluribus probat, ostendendo qualiter id ipsum sit contra formam Bullæ, quæ dum illà pœnâ prohibet attentari contrarium eundem molestando in asylo, multò magis vetat eum ibi occidi. Item extenduntur hæc ipsa demandant ad Episcopos & Praelatos Ecclesiasticos, dum quid mandant contra tenorem *cit. Bullæ*, eum si illa seu immunitas Ecclesiastica ab illis non servetur, non servabitur etiam à curia seculari ob malum exemplum. Ita Gambac. *l. 8. c. 9. n. 7*. apud Delb. *du. 26. §. 2. n. 8*. qui tamen id distinguendum censet, ut procedat, dum istiusmodi prælati sunt Principes, habentes dominium temporale, idque faciant quæ tales seu potestate laicâ; secus probabiliter, si procedant auctoritate suâ Ecclesiasticâ, sive ordinariâ, sive delegatâ; quia Bulla inducta est in præjudicium potestatis laicæ & ad frændandam temeritatem laicorum; unde & tunc laici accepturi non sunt occasionem scandalii. Et non incurrunt, qui solum consulunt fieri dictam extractionem aut quid aliud contra formam *cit. Bullæ*, uti nec, qui solum ratam habent dictam extractionem; cum talis ratihabitio sit posterior facta, adeòque dici nequeat attentari quid contra Bullam, ita Delb. *l. c. n. 6. & 7*.

6. Quartò Judices, qui etiam inficii extractionis extractum à familia vel amicis ejus statim non restitunt ob eandem rationem non servatæ Bullæ. Ut Delb. *à n. 29*, id pluribus confirmans. Cæterique AA. qui etiam has pœnas extendunt ad eos, qui reum id permittentem, vel etiam renunciantem suo privilegio capiunt in loco asyli, aut inde abducunt. Nec opponi potest, tales Judices, sine propria culpa extractum non restituendo, non peccare, adeòque excommunicationem non incurrere, peccant

R. P. Lewr. *Jur. Can. Lib. III.*

enim dum Ecclesiæ injuriam passæ non restitunt, quo ea injustè spoliata, contraque reverentiam ei debitam, cum censeantur illum primò extrahere.

Quest. 1043. Qualiter & à quo violatores asyli absolvi possint à dicta excommunicatione.

1. Resp. Ad primùm: violatores hi necesse habent ab ea liberari per absolutionem; ea autem facienda non est, nisi factâ prius restitutione rei violenter abstracti ad locum asyli præstitaque Ecclesiæ satisfactione pro injuria ei illata ex læsione immunitatis, ita communis Reiffent. *num. 28*. Wiestn. *n. 182*. juxta declarationem Cardinalium apud Pignat. Loc. paulò post citand. & Arg. *c. cum desideres de sent. excom.*

2. Resp. Ad secundùm: in eo non convenite AA. dum eam absolutionem reservatam esse Papæ defendunt Farin. in *Append. c. 20. n. 315*. Mar. Ital. *de immunit. l. 1. c. 6. §. 2. à n. 3*. Dian. *p. 6. tr. 1. resol. 34*. Barbof. *jur. Eccl. l. 2. c. 3. n. 167*. quos citat & sequitur Reiffent. *h. t. n. 21*, fundantes se in decretis Clem. VIII. & Pauli V. prohibentium quibuscunque confessariis absolvere à casibus violatæ immunitatis in terminis constitutionis Greg. juxta quam violatores hi subjacent omnibus pœnis, quæ à jure communi vel antecessorum Pontificum quibuscunque constitutionibus, adeòque & in Bulla Cænæ contra eos latis; hæc autem reservatæ sunt summo Pontifici, item in *Extrav. 3. inter comm. de pœnit. & remiss.* ubi casibus reservatis Papæ annumerantur offensa libertatis Ecclesiasticæ, ac demum in variis decisionibus S. Cong. immunitatis, quarum plures refert Pign. *Tom. 2. consult. 59*, earumque una sic habeat: *Absolutio à censuris ex causa violatæ immunitatis Ecclesiasticæ est reservata summo Pontifici*. & altera ejusdem ferè tenoris in *Liciens. 13. Jul. 1638*. propter quas tam claras declarationes per tot tamque classicos collectores allatas audacter pronunciat Reiffent. *n. 283*, sententiam oppositam, quæ Episcopis hanc potestatem absolvendi tribuit, non esse amplius probabilem, ac proinde ab absolutione dictæ excommunicationis abstinere debere Episcopos, multòque magis regulares, etiam illos, qui gaudent privilegio absolvendi à reservatis; tum quia absolutio hæc specialiter prohibita à Clem. VIII. tum quia non immeritò annumeratur casibus Bullæ cænæ, à quibus etiam vi privilegiorum absolvere nequeunt regulares. Nihilominus è contra hanc absolutionem locorum ordinariis seu Episcopis competere (intellige non tantum jure delegato iis à Pontifice, sed ordinario) probabiliter tenent Genuens. in *pr. c. 22. à n. 3*. Nald. *v. casus reservatus. n. 1*. Bonac. *l. c. q. 7. p. 11*. Zypæus in *analyf. h. t. n. 13*. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n. 184*. item Galtrop. *l. c.* Delb. *du. 38. §. 1. n. 1*. citatis in super Gratian. *discep. Tom. 4. c. 414. n. 12*. Cutell. *l. 1. q. 41*. Ricc. in *pr. p. 2. resol. 333*. Bellet. *disquis. Cler. tit. de favore Cler. §. 4. n. 39*. & aliis, qui etiam addunt, de Episcopi facultate posse absolvere ab illa excommunicatione quoscunque confessarios. Rationem reddunt, quia Episcopo regulariter & de jure Episcopali ordinario competere potestatem absolvendi ab excommunicatione jure lata & non reservata, ut Abb. in *c. grave de præb. n. 13*. Nav. in *man. c. 27. n. 39*. Gut. *qq. can. l. 1. c. 5. n. 1*. excommunicatio autem contracta violatione asyli neque à Gregor. XIV. neque ab ejus successoribus reservata. Respondent quoque valde probabiliter ad fundamenta adversariorum. Primò ad Decretum

Ccccc 2

Clem.

Clem. dicendo, ibi tantum sermonem de aliis sacerdotibus inferioribus esse, qui vi privilegiorum sibi à sede Apostolica concessorum posse se à dictis casibus & pœnis, prætendebat. Ita Delb. *l. c. f. 2. n. 5.* Wiestn. *n. 183.* Secundò ad *cit. Extrav.* quòd, dum ibi reservatur generaliter violatio libertatis Ecclesiasticæ, non comprehendatur immunitas, cum hæc respiciat loca sacra. libertas verò referatur ad personas ut iidem. Tertiò ad *constitut. Gregor.* quòd, dum in ea renovantur omnes censuræ latæ à prædecessoribus, adeoque & latæ & reservatæ in Bulla cænæ, non meminerit reservationis, quæ facta non censetur, nisi exprimat per *c. nuper. de sent. excomm. §. in secundo.* ita Delb. *cit. f. 2. n. 8. & seq. Ca-*

strop. l. c. p. 12. n. 7. Wiestn. *n. 183. in fine.* Quartò ad declarationes S. Congr. Romæ factas, quamvis respondeat Delb. *n. 12.* licet in singulari numero, quòd de tali declaratione non constet authenticè, addit tamen, quòd opinione oppositam faciat satis probabilem, quin & consulendam, utpote tutiorem in praxi, præsertim, cum eam sequatur stylus penitentiarie & Curie Romanæ. item sic habeat declaratio S. Cong. Cardin. Interpret. Tridentin. apud Farin. & respondisse tueretur congregat. immunitatis *1632. 16. Junii.* Vicario generali Capuano, quòd responsum quia fusiùs, verbotenus descriptum italicè vide apud Delb. *l. c. n. 12.*

C A P U T III.

De immunitate Ecclesiastica reali seu bonorum Ecclesiasticorum ad Ecclesias personasque Ecclesiasticas pertinentium.

Quæst. 1044. Quenam loca in ordine ad fruendum hac immunitate reali veniant nomine Ecclesie, & quinam nomine Ecclesie, & quinam nomine Ecclesiasticorum.

REsp. Nomine Ecclesiarum veniunt omnia loca pia & religiosa auctoritate Episcopi erecta juxta dicta supra & declarationem Cardinalium apud Pignat. *l. c. n. 98.* Nomine personarum Ecclesiasticarum veniunt imprimis omnes & singuli Clerici faculares, etiam in minoribus constituti, quin & primâ tonsurâ solum insigniti; cum & hi re vera sint & dicantur propriè clerici. Arg. *c. clericos. dist. 21.* juraque loquantur indistinctè & favores sint ampliandi, modò tamen conditiones à Trid. *sess. 23. c. 6. de reform.* requisitas habeant, nimirum ut beneficium Ecclesiasticum habeant, aut in habitu clericali & tonsura incedentes alicui Ecclesie de mandato Episcopi inserviant, vel in seminario clericorum, aut in schola aliqua, vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos, versentur, pro ut constat ex consuetudine & praxi, vi cujus clerici Minoritæ, si conditiones non habent, dicta immunitate reali bonorum suorum non fruuntur, ac ita docent Suar. *de immunitate Eccl. l. 4. c. 27. n. 14.* Garc. *de benef. p. 2. c. 3. à n. 5.* Azor. *p. 3. l. 5. q. 6.* Laym. *l. c. c. 7. n. 2.* Barbof. *in c. 7. h. t. n. 7.* citatique ab eo alii contra Sanch. *in Decal. l. 7. c. 13. n. 33.* Pirh. *h. t. n. 86.* citatis Molin. *Tom. 3. de just. d. 671.* & Barbof. *l. 3. jur. Eccl. c. 29. n. 15.* citante insuper alios, qui censent adhuc frui hac immunitate Clericos primæ tonsuræ, etsi careant dictis conditionibus; eò quòd Concilium eas requirat, ad hoc, ut Clerici gaudeant privilegio fori, & non, ut gaudeant privilegiis aliis, & sicetiam dicta immunitate; ad quam proinde illa limitatio conditionata Concilii non sit extendenda. Contra quam tamen rationem videtur facere, quòd privilegio fori, utpote quòd comprehendit immunitatem à jurisdictione laicorum, frui non possint absolute, si bona illorum à jurisdictione & exactione laicorum exempta non sunt; cum laici bona sibi subditorum gravent exactionibus & tributis, non tam ob ipsa bona seu naturam illorum,

quàm quia ea possidentes illis subditi sunt. Veniunt etiam ad gaudendum hoc privilegio Clerici excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares, & etiam verbaliter degradati Barb. *de jur. Eccl. l. 3. c. 39. n. 15.* Pirh. *h. t. n. 86.* exceptis solum Clericis conjugatis juxta *c. unic. de Cler. conjug. in 6.* & ibi Gl. *f. m. cæteris.* Secus tamen est etiam quòd ad hoc de Clericis Græcis, qui utuntur matrimonio cum una & Virgine contracto; hi enim quòd ad omnia sunt Clerici adeoque omnibus privilegiis Clericorum gaudent, uti & eorum uxores legitimæ, Pirh. *l. c.* cum Barbof. *n. 19.* Veniunt quoque dicto nomine omnes regulares utriusque sexus cujuscunque religionis approbatæ, tam professi quàm Novitii, Barb. *l. c. n. 23.* Molin. *l. c.* Pirh. *n. 37.* Non verò gaudent hoc privilegio immunitatis bonorum, qui in familia seu domo clericorum vel Religiosorum non clerici nec religiosi versantur, eorumque sumptibus aluntur; cum id ex jure probari nequeat. Siquidem *l. 2. de Episc. & Cler.* loquitur de mancipiis & servis eorum, qui non tanquam personæ, sed tanquam clericorum & religiosorum bona eximuntur & gravari à laicis non debent, qualiter adhuc gravarentur dum eorum bona, si quæ habent, exactionibus gravarentur. Pirh. *h. t. n. 86. in fine.* citat. Barbof. *ubi ante. n. 22.* Coloni tamen & Emphyteutæ Ecclesie aut Clericorum perpetui, quia glebæ, id est, terræ colendæ in perpetuum adscripti, ita ut recedere nequeant, gaudent immunitate Ecclesie concessa ut Barbof. *l. c. §. 5. n. 30.* Menoch. *de arb. casu 562. n. 21.* Pirh. *h. t. n. 88.* Coloni verò partiarrii, qui agros colunt pro certa parte fructuum, quòd ad hanc partem pendendam dominis gravari nequeunt, quia hi fructus censentur non illorum sed domini, nimirum Ecclesie vel Clericorum; quòd ad partem autem illam, quam ipsi percipiunt, gravari illos posse, & non frui immunitate à Gabellis tributis teloniis &c. probabilius sentiunt cum Gl. *in Clem. præsentis de cens. sib. V. non negotiandi.* Menoch. *l. c. à n. 38.* Barb. *l. c. §. 3. n. 33.* Wiestn. *h. t. n. 208.* Pirh. *l. c.* quia tales conductores agrorum ad Ecclesiam pertinentium non sunt personæ Ecclesiasticæ fructusque dicti pleno jure domini ad eos spectant, ideo illis quòd ad eos gravatis non gravatur Ecclesia. Sed & Emphyteutæ Ecclesie tenentur ad solvendas collectas ratione

tione domini utilis, quod separatim à dominio directo Ecclesiæ est mere laicum & profanum; cum res in emphyteusin concessa mutet conditionem suam ob personam, in quam transit dominium utile, adeoque subijciatur exactionibus secularium. Pith. l. t. cum Menoch. l. c. n. 22. juxta praxin ordinariam. Quod idem dicendum de bonis Ecclesiæ seu clericorum concessis in feudum vasallis laicis, quin & de bonis feudalibus seu concessis Ecclesiæ, monasterio, Clerico in feudum à domino seculari, utpote quorum dominium, ratione cujus etiam conveniri possunt coram illo Ecclesiæ, clerici non secus ac vasalli laici, utpote non minus quam hi illi immediatè subiecti sunt, ita ut quò ad illa bona non habeant privilegium fori, censeturque Ecclesiæ ut Laicus, & non ut Ecclesiæ. Abb. in c. dilectus de præb. & dignitat. n. 4. Laym. l. c. rr. 9. c. 5. n. 2. Gail. l. 1. observ. 30. Pith. h. t. n. 74. Wiestn. h. t. n. 196.

Quæst. 1045. Quenam veniant nomine tributorum in ordine ad gaudendum vel non gaudendum immunitate ab iis?

Resp. Hoc nomine generaliter accepto comprehenduntur vectigalia sic dicta à devectione rerum & mercium. Gabella, quæ accipiuntur pro certo onere pecuniatio imposito v. g. vino, carni vel aliis victualibus; accisæ acceptæ pro certa parte pretii, quo res venduntur, pendenda. collectæ sic dictæ, quò ad subditis colligantur necessitate aliqua ingruente, & aliàs contributiones dicuntur, telonia, collectæ accisæ similesque exactiones quod & ipsum nomen exactionis generale est, comprehendens sub se ipsa tributa; horum tributorum aliqua imponuntur rebus ipsis immobilibus, ut fundis, prædiis, quatenus res sunt frugifera, ex quarum fructibus tributa solvi possunt, non verò rebus mobilibus, quæ per se non res fructifera, adeoque nec capaces tributorum, nisi quatenus exponuntur & subsunt negotiationi vel transportationi de uno loco in alium. Alia item sunt ordinaria perpetua & invariabilia, quæ certam & determinatam præstationem habent. Ut Abb. inc. ult. de vita & honest. clericor. n. 12. & in c. non minus. h. t. n. 15. Alia sunt nova, quæ ob causam incidentem v. g. utilitatis vel necessitatem Principes sæculares imponere possunt, nec certam & singulis annis vel statim temporibus recurrentem præstationem habent, sed variantur, & modò majores, modò minores, tales contributiones imponuntur, nec cessante causa, ob quam legitime impositæ, continuari possunt sine iniustitia. De his omnibus (exceptis, secundum dicta, iis bonis clericorum, quæ ab iis negotiationi exponuntur) ac imprimis de novis extraordinariis à Principibus secularibus impositis, procedunt dicta de immunitate Ecclesiasticorum & Clericorum, à quibuscunque oneribus & exactionibus, pro ut constat ex antecedentibus. Ac ita sentiunt tam Theologi quam Canonistæ communiter teste Pith. n. 62.

Quæst. 1046. An & quæ res seu bona Ecclesiarum, monasteriorum personarumque Ecclesiasticarum gaudeant immunitate à contributionibus, exactionibus laicorum & jurisdictione laicali?

1. Resp. Primò bona eorum consecrata vel benedicta ad cultum divinum quasi instrumenta deputata, ut sunt materiales Ecclesiæ seu templa unà cum monasteriis, item vasa sacra, vestes, paramenta, à jurisdictione laicali, contributionibus teloniorum

præstationibus aliisque exactionibus & oneribus à seculari potestate imponendis sunt immunita; tum quia sacra sunt, tum quia nullos proventus aut temporalem commoditatem habent; cum eo ipso, quòd ad cultum Dei usque sacros deputata sunt, ad usus profanos amplius deservire nequeant juxta *can. qua semel*, 19. q. 3. *can. ligna. de consecrat. dist. 1. c. semel. de reg. jur. in 6.* junctà *l. sancimus. c. de ff. Eccl.* ita cum communi Orthodoxorum Pith. h. t. n. 53. Reiff. n. 227. Wiestn. n. 191. Laym. l. 7. tr. 9. c. 6. num. 1. ubi etiam inter hæc bona numerat areas, domus, hortos juxta Ecclesias positos, ex quibus panis & vinum pro SS. Eucharistia conficienda aliisque rebus ad cultum divinum necessariis colligi debent. per *can. sancitum*, 23. q. 3. c. 1. *de censib. & Arg. reg. accessorium*, 42. in 6.

2. Resp. Secundò: idem dicendum de bonis temporalibus, sive mobilibus, sive immobilibus, Ecclesiarum & Ecclesiasticorum, quæ à fundatoribus aliisque piis fidelibus ad honorem Dei pro dote earum ea intentione, oblata Ecclesiæ, ut per Prælatos Ecclesiarum pro decore ornatu & conservatione illius necessariorumque ad illam, nec non pro honesta sustentatione Rectorum & Ministrorum illius, & siquid superest, pro pauperum aliarumve piarum causarum usu expendatur ita communis ut nullus discrepet teste Fagn. in c. nemo minus. h. t. n. 8. Arg. c. adversus. h. t. c. 1. *cod. in 6. c. 1. de censib. & c. quanquam. cod. in 6.* item expresse auct. item nulla, c. de Episc. & Cler. cujus textum longiorem recitat Reiffenst. n. 228. ex ea quoque ratione, quòd ea intentione collata Ecclesiæ gravarentur & minuerentur oneribus & exactionibus laicorum, idque caderet in præjudicium cultus divini, piarum causarum & Christi, dum sunt & vocantur res Dominicæ, *can. 40. Apostol. pecuniæ Christi. can. 1. 12. q. 2.* patrimonium Christi ac pauperum; quin & redderentur deterioris conditionis quam bona temporalia, dum quoque à summis Pontificibus & quandoque etiam ab Episcopis justa de causa imponi possunt juxta c. *Apostolicæ. §. prohibemus de censib.* (non enim gaudent immunitate respectu potestatis Ecclesiasticæ, sed solum respectu potestatis secularis) ac ita duplici onere gravari. Neque his obstat c. *tribus*, 11. q. 1. ubi S. Ambros. inquit: *Tributum petat Imperator. non ei negamus solveretributum:* Nam his S. Doctor tributum à Justina Ariana Valentiniæ adhuc pueri matre Ecclesiis impositum non approbat tanquam justum, sed ad majus malum ipsorumque fundorum Ecclesiasticorum invasionem & usurpationem avertendam tolerat, ut patet verbis ejus sequentibus: *Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum, tollat eos, si libitum est, Imperatori non dono, sed non nego. ita Barbof. inc. s. tributum. n. 1. Suar de defens. fidei. l. 4. c. 21. n. 12.* Item idem est de bonis, quæ titulo spirituali acquiruntur Ecclesiis aut Ecclesiasticis, ut sunt decimæ, primitiæ, oblationes, fructus beneficiale, distributiones quotidianæ, redditus stolæ &c. tum quia titulus, quo quæ sita, sacer est, tum quia quibus quærentur, à jurisdictione seculari exempti. ita quoque communis conformiter Trid. sess. 25. c. 20. *de reform.* & variis juri-bus. c. 10. *de constit. c. 49. de sent. excom. c. 4. de censib. c. ult. h. t. in 6.*

3. Resp. Tertiò bona Ecclesiarum & Ecclesiasticorum ab iis acquisita titulo aliquo temporali v. g. emptione, hæreditate, arte, labore, donatione, inventione, immunita quoque sunt ab oneribus prædictis, ut cum Glof. communiter recepta in *c. fin. de vi. Ccccc 3* ia §

ra & honest. Cler. V. suis facultatibus. Abb. in idem c. n. 13. Laym. l. 4. tr. 9. c. 6. n. 9. Pirh. h. t. n. 59. Barbof. Jur. Eccl. l. 3. c. 39. §. 5. num. 6. testans de communi. Wiestn. h. t. n. 194. juxta cit. c. *quanquam de censib. in 6.* ubi expressè sine distinctione de cunctis rebus & bonis ad Ecclesias personasque Ecclesiasticas spectantibus in specie seu signanter addendo. *de rebus suis propriis*; dicitur, quod sint immunia à personarum secularium exactionibus. uti item clariùs adhuc statuitur c. 1. h. t. in 6. dum expressè decernitur, non licere iis, qui jurisdictionem seu justitiam temporalem obtinent & exercent, tallias, collectas seu exactiones quascunque Ecclesiis & personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab iisdem pro domibus prædiis vel quibuscunque possessionibus ab iisdem Ecclesiis & personis legitime hæcenus acquisitis & impofterum acquirendis, etiam si Ecclesiæ, ipsa personæ, res sint intra illorum territorium constitutæ, nec liceat illis Ecclesias aut personas ad distrahendum seu alienandum, vel extra manum suam ponendum acquisita jam, vel quæ deinceps acquirant, aliquatenus coarctare &c. His etiam accedente declaratione S. Congreg. in *Tricaric. 14. Dec. 1663.* referente Pign. Tom. 2. consult. 54. n. 99. ubi is inquit: *patrimonium clericum est exemptum instar bonorum Ecclesiasticorum.* Quam etiam exemptionem seu immunitatem à vectigalibus his bonis luculenter tribuisse Sigismundum Imp. testantur Goldastus in *vita illius.* & observari à Principibus & statibus Imperii etiam A catholicis gloriatur Knipschild author heterodoxus l. 2. *de jurib. & privileg. Imp. civitat. c. 18. n. 18.* accedit quoque ratio, nimirum, quod exactio & præstatio tributi similiumque onerum sit signum subjectionis juxta illud Apost. ad Rom. 13. *necessitate subditi estote, ideo enim tributa præstatis.* Quod idem repetitur c. 2. *de censib. jam verò Ecclesiastici exempti sunt à subjectione & jurisdictione secularium, ut pluribus paulò post; & quidem plenè ac perfectè; quæ immunitas perfecta intelligi nequit, nisi ipsorum bona sint quoque exempta, accessorio sequente necessariò suum principale.* Limitanda tamen responsio, ita, ut dum his bonis negociantur clerici, curando ea de vehi aut deferri, immunia non sint à teloniis, vectigalibus, Gabellis, pedagii, accisiis, ut juxta expressum textum c. *quanquam de censib. Ancharan. & Barb. ibidem n. 2. Gutt. de Gabell. q. 9. n. 3.* negociari autem quis dicitur, dum rem emptione, mutatione aliove contractu acquirit & comparat eo sine, ut eam revendendo lucrum faciat. ut Gutt. l. c. n. 16. quod quia non faciunt Clerici, dum rem aliquam emunt eo animo, ut ea utantur & fruantur, etsi postea mutato animo eam revendant, aut etiam fructus beneficiale, frumentum, vinum, lanam pecora vendunt, adhuc eorum res dictique fructus gaudent immunitate à dictis oneribus Gutt. l. c. n. 36. & 37. Barb. l. c. n. 2. Nav. in *man. c. 27. n. 128.* Reiffenst. h. t. à n. 250. de cætero immunitatem hanc realem quò ad bona Ecclesiarum, de quibus resp. 1. esse etiam de jure divino docent Dian. p. 1. tr. 2. resol. 1. Bellet. *disq. cler. p. 1. de exempt. cler. §. 1. num. 1.* Azor. p. 1. l. 5. c. 12. q. 1. Sperell. *decis. 37.* Laym. l. c. c. 8. Tambur. *de jur. Abb. Tom. 1. d. 15. q. 19.* quos citat & sequitur cum communissima aliorum Reiff. h. t. n. 232. de bonis quoque, de quibus *quest. 2.* quò ad hæc vix ullam esse controversiam asserens. De bonis verò quibus resp. 3. etsi magis dubitari possit, idem tamen astruit textus tam juris, c. *quanquam de censibus.* quam Trid. *sess. 25. c. 20.* dum ibi dicitur, immunitatem Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum constitutam ordinatione divina. Verùm vide dicta ad initium hujus tit.

& quidquid sit de hoc, num sit juris divini, nullam in contrarium prævalere consuetudinem, utpote illicitam & invalidam ex cit. c. *quanquam,* constare videtur, dum ibi dicitur corruptela.

Quest. 1047. Num bonis liberis jam acquisitis ab Ecclesia possit imponi primo à Principe onus istiusmodi reale ex potestate jurisdictionis supremæ, quam habet in suo territorio?

Resp. Negativè juxta c. *non minus. h. t.* cum Abb. *ibid. n. 16.* Suar. *cit. l. 4. c. 20. n. 2.* Pirh. h. t. n. 56. & communi aliorum contra Bartol. in l. *rescripto. §. fn. ff. de munerib. n. 5.* reprobatur quò ad hanc opinionem (qua defendit posse principes seculares omnia prædia sita in suo territorio efficere tributaria) tanquam fallam & adversantem immunitati Ecclesiasticæ ut Fagn. in *cit. c. non minus. n. 10. & 11.* Barb. l. 1. *jur. Eccl. c. 39. §. 5. an. 55.* citati à Pirh. l. c. quia talia bona uti & eorum possessores sunt extra jurisdictionem secularium, adedque subiectum incapax ad recipienda istiusmodi onera à secularibus. Unde tale statutum includendo in genere vel in specie Clericos dicendo v. g. volumus, ut de prædiis in meo districtu sitis impofterum tantum præstetur tributum pro bono communi respectu Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum, est illicitum & invalidum. Arg. c. *adversus. h. t.* & Bullæ cænæ, pro ut idem firmat Pignat. Tom. 2. *consult. 54.* pluribus citatis Rotæ decisionibus & Cardinalium declarationibus. Loquendo tamen de tributis non perpetuis & stabilibus & purè realibus, sed de contributionibus non ita merè realibus temporalibus, hic & nunc præstatis, in casu nimirum gravis necessitatis vel maximæ utilitatis, æquè principaliter tangentis statum Ecclesiasticum quam secularem, posse gravari Ecclesias & Clericos, habet communis desumpta ex c. *non minus & c. adversus. & Extrav. unic. inter communes. h. t.* ubi tamen ad licitam talem impositionem & exactiorem talis contributionis requiruntur quatuor, primò ut ad evidentem gravem & communem illam necessitatem res laicorum propriæ, vel saltem communis reipublicæ, solæ non sufficiant. Secundò ut contributionem decernat Episcopus cum universo clero totius diæcesis, ut Abb. in *cit. c. non minus. n. 5.* vel ut probabiliter Suar. l. c. c. 26. n. 16. cum canonicis capitularibus suæ Ecclesiæ Cathedralis, qui quandoque in jure c. 17. & 8. *de iis que sunt à Prælati.* soli veniunt nomine Cleri. Tertio ut Papa consulatur, ne per inferiorem Prælatorum conniventiam & nimium inconsultè Laicis deferentium facilitatem, Ecclesiæ nocumentum & præjudicium patiantur: nisi tamen necessitas non patiat moram recurrendi ad Pontificem; de cujus etiam expressa licentia vel privilegio Principibus competere potest Clericis imponere contributiones juxta c. *adversus.* Quarto ut contributio ab Episcopo decreta & à Pontifice approbata fiat absque coactione & exactiione laicorum, à clericis conferatur, & à laicis humiliter & cum gratiarum actione acceptetur, quòd si Clerici modestè requisiti, ut sponte contribuant, concurrere nolint, per Episcopum ad hoc sunt cogendi, & si id ipsum nolit Episcopus, ad superiorem v. g. metropolitanum aut Papam, recurrendum, non enim relictum est liberæ voluntati Episcopi aut Clericorum ut contribuant nec ne; sed peccant & injustè agunt, si subsistente vera & certa causa necessitatis vel utilitatis contributionem non approbent & præstent. Ita Pirh. *num. 73.* cum Suar. *loc. cit. c. 26. num. 6.* quarum conditionum, utpote copulativè requi-

requisitarum, si vel una desit, non possunt Clerici licite contribuere laicis.

Quest. 1048. Specialis, num igitur etiam Clerici contribuere teneantur ad necessitates & utilitates publicas & communes ordinarias?

R Esp. Quamvis iurista pluresque Canonista affirmant obligari Ecclesias & Clericos ratione bonorum, quæ possident ad contributiones pro necessitatibus & utilitatibus ordinariis impositas civibus & incolis v. g. ad reficiendas vias publicas, pontes, fontes, muros civitatis, vel ad comparandam annonam civitatis, similique ad communem usum, seu utilitatem civium etiam Clericorum, juxta quod dicitur: *l. ad instructiones. c. de Ecclesiis; ad instructiones itinerum pontiumque etiam divinas domos (ergo multo magis Clericos) tam laudabili titulo libenter adscribimus;* & pro ut sumitur ex aliis quoque textibus juris civilis, *l. ut. c. de quibus muneribus* expressè de murorum constructione, frumenti aliarumque specierum comparatione & communi provisione. *l. placet. c. de SS. Ecclesiis*, ubi conceditur immunitas à collectis, sed excipiuntur communes necessitates, quæ lex approbata à Jure canonico *c. generaliter. §. placet. 16. q. 1.* stabilitur quoque hæc sententia ratione eâ; quod hujusmodi exactiones non sunt tributa, quæ indicant subjectionem, & fundantur in jurisdictione, quia non imponuntur ut Principi solvantur; sed solum sunt contributiones, quæ pro communibus necessitatibus & utilitatibus propriis omnium civium imponuntur, quorum quia pars sunt & membra reipublicæ, fruuntur ut tales hæc commodis; naturalis ratio exigit, ut etiam concurrant ad istiusmodi ferenda onera. ita Pirh. *n. 76.* Quæ inquam licet valde probabiliter doceantur, nihilominus opinionem contrariam, quod etiam ad contribuendam pro talibus necessitatibus Clerici cogi nequeant, aut etiam licite possint, nisi servato præscripto modo in *c. non minus. §. c. adversus. h. t.* tanquam viorem probabiliorem & communio-rem inter Theologos & Canonistas asseruit Pirh. *h. t. n. 77.* citatis pro ea Gl. in *c. generaliter. §. juxta. V. collationibus.* Host. in *sum. h. t. num. 4. §. egoputo.* Jo. And. in *cit. c. non minus. n. 14.* Abb. *ibid. n. 18.* Bartol. in *l. ad instructiones. n. 3.* Sylv. *V. immunit. 1. n. 25.* Mol. *tr. 3. de just. D. 672. n. 4.* Suar. *cit. l. 4. c. 26. an. 12.* ex ea ratione, quod præterquam *c. 1. h. t. in 6.* absolute sine limitatione prohibeantur exigi & imponi collectæ quæcumque ab Ecclesiasticis solvendæ, bona Ecclesiastica deputata sint ad usum & finem spiritualem, qui etiam in bonum laicorum redundat, unde à ratione alienum non sit Laicos ex solis suis bonis temporalibus ad onera publica civilia teneri, etiam si ea cedant quoque in utilitatem Clericorum. Extenditque hoc ipsum Pirh. *n. 78.* ad bona patrimonialia Clericorum, non tantum, quia sunt accessoria bona, acita participant exemptionem personæ, sed etiam, quia Clerici deserviunt communi utilitati laicorum, ut hinc æquum sit, ut fruantur & ipsis communibus commoditatibus civitatis, etsi ad illas non contribuant ex bonis suis temporalibus, non secus ac milites & Magistratus sæculares, qui nihil de bonis contribunt, & tamen fruuntur dictis commoditatibus & liberi ab istiusmodi exactionibus. Ut cum Suar. *cit. c. 76. an. 12.* Pirh. *n. 78.* juxta *c. jus publicum 11. dist. 1.* ad Leges verò juris civilis pro contraria sententia adductas. Respondent hi AA. illas vel correctas per *Auth. item nulla.* vel nunquam validas fuisse ob defectum potestatis, verum-

que non esse, quod *cit. l. placet.* canonizata & approbata sit jure canonico etsi inserta decreto Gratiani, cum per hoc aliam auctoritatem non habeat, quam prius per se habebat; siquidem Leges civiles censentur tantum canonizata, quando à Papa canonicibus inferuntur, ut Gl. in *c. imprimis. can. 2. q. 1. v. capituli.* Ad rationem etiam adversariorum aptè respondent; quod Clerici sint membra Reipublicæ, sed privilegiata, nec omnia membra eundem actum habent, ut Apost. *ad Rom. 13.* & Clerici teneantur quidem sublevare patriam, sed in ministeriis spiritualibus statui suo propriis, ratione cujus exempti sunt ab exactionibus sæcularibus, quemadmodum laici, etsi membra sint corporis mystici Ecclesiæ, non tamen tenentur præstare Episcopo Cathedralium, subsidium, procurationem, similiaque onera, quæ ad Clericos pertinent. Unde & verum non est illud; qui sentiunt commodum, sentiant etiam gravamen. Si sentientes commodum aliunde graventur, uti in præsentè, dum Clerici, etiam in bonum laicorum gravantur aliis oneribus & ministeriis spiritualibus, sublevantur & eximuntur ab oneribus temporalium exactionum ut Pirh. *h. t. n. 80.* cum Fagn. in *cit. c. non minus. h. t. n. 49.* Quod dictum est de viis publicis pontibus &c. reparandis, quod ad talem reparationem cogi non possunt Clerici, idem dicendum de iis, quod tempore caritatis annonæ cogi nequeant à potestate sæculari ad vendendum etiam iusto pretio, frumentum aliaque victualia, cum explorati juris sit per *c. Ecclesia de constit. §. c. fin. de reb. Eccl. alienand.* jurisdictioni sæculari, ac præsertim coactivæ, clericos subiectos non esse. Quod spectat etiam violentus ingressus & visitatio horreorum & granariorum, præsertim intra Ecclesiarum & monasteriorum ambitum sitorum, cum loca ea acquiparentur sitis extra territorium Magistratûs sæcularis. Proinde jam urgente tali necessitate, sæculari potestati recurrendum ad superiores Ecclesiasticos, ut per illos compellantur clerici ad iusto pretio vendenda frumenta Belle. *disq. Cler. p. 1. cit. §. 2. n. 9.* Guazz. *de defens. reor. 20. c. 9. n. 10.* Madius *tr. de sac. Ordin. c. 14. §. 38.* Delb. *o. 9. du. 14. n. 1.* Wiestn. *h. t. n. 205.* & quod si tempore maximæ necessitatis Clericos rogatos à pauperibus vendere frumenta, potestas Ecclesiastica compellere ad hoc negligat, aut ea adire in tempore non possit, posse magistratum sæcularem potestate extraordinaria, & non jurisdictionis, utpote, quam in Ecclesiasticos non habet, sed justæ defensionis contra periculum communitati ex fame imminens frumentum ex Ecclesiasticorum horreis extractum iusto pretio egentibus vendere, tradit Delb. *l. c. n. 2.* & in simili casu docent Sotus in *4. dist. 25. q. 2. a. 1.* Molin. *de 7. §. 7. tr. 1. d. 31. n. 10.* apud Wiestn. *n. 206.*

Quest. 1049. An bona antecedenter obnoxia jurisdictioni & exactionibus laicorum transeant cum isto onere ad Ecclesiam & Clericos.

R Esp. Primò bona istiusmodi temporalia non feudalia à principe vel alio Domino sæculari Ecclesiæ vel monasterio in prima foundatione vel postmodum donata non merè liberè, sed cum reservatione jurisdictionis & pristini juris imponendi illis contributiones talem conditionem tanquam justam retinent, adeoque obnoxia manent oneribus illis à fundatore & donatore imponendis vitalis pacti & conventionis. Suar. *c. 14. n. 13.* Laym. *l. c. num. 4.* Wiestn. *n. 197.* Arg. *c. verum. de condit. appost.* Idem est de bonis, aliis titulis acquisitis, si antecedenter jam

jam actu habuerunt hoc onus reale contributionis perpetuum ac invariabile sibi impositum ex vi domini & pacti præcedentis, & in hoc casu verum est, quod restranseat cum suo onere, ut sumitur ex c. ex literis. de pignor. & c. tributum. 23. q. 8. & docetur à Suar. l. 4. c. 20. à n. 6. Laym. l. c. 6. n. 9. §. d. ces. Pirh. h. t. n. 56. cum Glof. in cit. can. tributum. V. de exterioribus. ex ea ratione, quod ordo Justitiæ ob favorem religionis & causæ piæ non debet inverti, nec alter invitus privari jure suo, quod habet in illis bonis vi pacti seu contractus primò quaesitum.

2. Resp. Secundò: Si verò bona illa non ex vi domini, sed ex lege ordinaria ac perpetua, ex potestate jurisdictionis supremæ sint tali onere reali affecta, priusquam ad Ecclesiam personasve Ecclesiasticas deveniunt, ea ad illas cum dicto onere non transeunt, quia vi jurisdictionis secularis, quam principes sæculares non habent in Ecclesias, imposita. Unde, cum non sint onus merè reale inhærens ei non propter rem sed propter personas eam possidentes, non obligantur ad illud solvendum, nisi personæ illius jurisdictioni subjectæ; adeoque dum res transit ad personas illi non subjectas hæc non obligantur ad solvendum; siquidem mutatâ personâ in hoc casu, mutatur etiam status & conditio ut March. loc. mox citando. q. 29. & 38. atque de his bonis jam ab antiquo obnoxiiis tributis aliisque exactionibus impositis à principibus sæcularibus stabiliter vi potestatis jurisdictionis publicæ, quam habebant in eorum possessores, quod transeuntia ad Ecclesias vel Ecclesiasticas personas evadant & sint libera, ut amplius de eorum fractibus dictæ contributiones à laicis exigi nequeant, loquitur Bulla Urban. VIII. edita anno 1641. 23. Sept. quæ incipit: *Romanus Pontifex*. & multifariam hanc prohibitionem declarat, ita ut exactiones & receptiones dictarum contributionum sint indebitæ, illicitæ & invalidæ, primò etiam si à consentientibus Ecclesiis aut Ecclesiasticis sint datæ & solutæ, sed sine facultate sedis Apostolicæ. Secundò licet per tempus longissimum & immemorabile exactæ & solutæ. Tertio etsi exactæ & solutæ prætextu privilegii Apostolici desuper alicui principi sæculari concessi. Quarto, etiam si solutæ vel exactæ cum tolerantia & permissione Prælatorum Ecclesiasticorum Prædecessorum, puta Episcoporum, Abbatum, præpositorum Generalium, Provincialium, Priorum, imò Legatorum & Nunciorum Apostolicorum. Quintò præcipitur, ut restituantur in integrum omnia præjudicialia facta in contrarium, & ne deinceps talia attententur, etiam si attentata fuerint per Imperatores & Reges aliosque quoscunque, sufficiente ac legitima facultate Apostolica non instructos. Sextò, etiam si illa attentata sint sub prætextu, quod Bullæ seu constitutiones Apostolicæ pro dicta immunitate emanatæ non fuerint publicatæ vel usu receptæ, vel fuerint per alias Constitutiones Apostolicas revocatæ, ut habetur in cit. Bulla. Urbani, ac denique *ibidem* §. 13. & 14. additis variis clausulis derogatoriis, admittitur omnibus Judicibus Ordinariis ac delegatis, quacunque authoritate præditis facultas aliter declarandi, interpretandi ac judicandi. ita ferè Pirh. h. t. n. 69. ac proinde frustra dicitur, in pluribus locis hæc non observari, vel consuetudine contraria iis derogatum; quia ut constat ex jam dictis ea etiam immemorabili tempore introduci non potuit, & consequenter nec ea cohonestare illas exactiones. Quæ verò ex Jure tum civili tum canonico in speciem contra dictam immunitatem adduci videntur, jam ferè in antecedentibus dilutæ sânt.

Quæst. 1050. Quinam veniant nomine violatorum immunitatis realis, & quas pœnas incurrant, & quis ab iis absolute vere possit?

1. Resp. Ad primum: In ordine ad pœnas, præsertim excommunicationis, incurrendas veniunt hoc nomine omnes ac singuli cujuscunque dignitatis etiam regalis, qui per se vel per alios directè vel indirectè Ecclesiis Ecclesiasticisve personis eorumve bonis vel rebus etiam propriis Tallias, collectas, seu exactiones quascunque & quocunque nomine vocatas, imponunt, vel ab iis exigunt, ut constat ex c. non minus. & c. adversus. junctâ Bulla cænæ & Bulla Urban. VIII. & quidem non tantum ii, qui directè vel indirectè aliqua imponunt vel exigunt, impositaque vel exacta imperiis, minis, vi, terrore extorqueant; sed etiam ii, qui ea, quæ imposuerunt vel exegerunt à sponte dein dantibus vel concedentibus recipiunt. juxta c. clerici. h. t. n. 6. ubi id expressè continetur, quod caput etsi revocatum sit per Clem. quoniam. h. t. & Extravag. Quodolam eodem; renovatum tamen iterum & expressè statutum & extensum per Bullam cænæ & Bullam Urban. VIII. Romanus Pontifex. per recipientes autem à dantibus sponte in ordine ad pœnas statutas dictis violatoribus non intelliguntur illi domini laici, qui recipiunt, quod Clerici sponte nulla præcedente impositione aut exactione illis contribuunt. Reiffenst. h. t. n. 280. cum Pirh. num. 94. Veniunt quoque nomine Violatorum ii, qui imponentibus vel exigentibus ad hoc auxilium, consilium aut favorem exhibent juxta expressa verba Bullæ cænæ §. 18. Item veniunt non tantum imponentes & exigentes contributiones & auxilium præstantes, si sint supremi Principes, sed & eorum officiales consiliarii, suadentes, approbantes, & suis adulationibus promoventes istiusmodi exactiones, Præfecti, particularium locorum Judices, imò famuli, lictores, satellites, milites directè vel indirectè exequentes & executionem adjuvantes.

2. Resp. Ad secundum: Præterquam quod constitutiones sententiæ à collectantibus Ecclesiis & Clericis editæ, aut de eorum mandato promulgatæ ipso jure sint irritæ, & nullo tempore valituræ juxta c. adversus. h. t. excommunicationis pœna fertur in illos, & quidem ipso jure, postquam moniti desistere nolunt, communioni fidelium non restituendi, nisi competentem satisfactionem fecerint. c. non minus. junctâ Gl. fin. *ibidem*. quæ excommunicatio absolute incurrenda ipso facto statuitur c. clericis. h. t. n. 6. prædictis omnibus ac insuper pœna interdicti, si imponentes, exigentes, iis auxilium aut favorem exhibentes fuerint universitates vel collegia. Item prohibetur sub eadem pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ Prælati & Ecclesiasticis personis tam regularibus, quam sæcularibus collectas, tallias, decimam, vigesimam vel centesimam partem suorum vel Ecclesiarum proventuum seu bonorum quocunque colore mutui, subventionis subsidii solvant, vel promittant aut consentiant se soluturos absque sedis Apostolicæ authoritate. Uti & prædictam excommunicationem omnibus ac singulis prænomminatis præced. resp. aliisque in similibus casibus intorquet Bulla cænæ, pro ut per extensum videre est apud Reiffenst. h. t. à n. 281. circa quam excommunicationem notanda sequentia. Primò quod excommunicari ob impositas Ecclesiis collectas & c. vi officii, eo finito, maneat excommunicati, quin & sicut durante officio ad satisfaciendum compelli poterant

poterant, sic quoque eo finito ad id compelli possunt, ut cum Abb. in *cit. c. adversus*, num. 3. § 8. Pirh. *h. t. num. 91.* idque, ut iidem, extendendum, quod tales teneantur tam finito quam durante officio satisfacere, etiam si commoditas proveniens ex hoc eorum delicto non ipsis, sed universitati aut domino cesserit; ita, ut, si non possint inducere universitatem vel dominum ad satisfaciendum, ipsi de suo teneantur satisfacere. Secundò, quod successores in officio imponentium istiusmodi contributiones seu collectas teneantur ad satisfaciendum vel ex communibus bonis communitatis, vel inducendo ad satisfaciendum eos, quibus collectæ sunt applicatæ, non tamen tenentur ad satisfaciendum ex bonis propriis, cum non deliquerint, nec aliquid ex dictis collectis perceperint aut usurpaverint; adeoque si intra mensem non satisfecerint ipsi excommunicationem non incurrunt. Nisi tamen hi successores in officio sint quoque hæredes antecessoris qui collectam imposuit; tunc enim tenebuntur satisfacere Ecclesiæ, quæ ex inde damnnum passa. Ita Suar. de *cenfib. d. 21. f. 2. n. 101. in fine.* Barbos. in *c. adversus*, num. 5. Pirh. *l. c.*

2. Resp. ad tertium à dictis pœnis excommunicationis & interdicti extra articulum mortis nemo absolvere potest, nisi summus Pontifex aut

alius de illius speciali licentia; non obstantibus quibuscunque privilegiis, sub quibuscunque formulis seu clausulis concessis etiam Imperatoribus ac regibus. Et quidem non nisi prius facta satisfactione aut præstita super ea faciendi cautione & promissione seria de istiusmodi impostis non attentandis, ita ut absolutio ab alio vel aliter facta sit, non tantum nulla, sed & graviter peccaminosa, pro ut hæc statuuntur in *Bulla cœne* §. 21. & 22. contra quod, si dicatur dictam Bullam non esse ubique receptam aut promulgatam, bene responderetur eo dato, non concessio, certum esse, quòd à peccaminosa transgressione ac pœna SS. canonum & constitutionum Apostolicarum pro immunitate Ecclesiastica editarum (inter quas est maxime *Bulla cœne*) prætextus legis non receptæ aut promulgatæ nullus excuset, pro ut dicitur in *Bulla Urban. VIII.* Romanus Pontifex hæc formalibus: *etiam sub prætextu, quòd Bullæ seu constitutiones Apostolicæ non fuerint publicatæ, vel usu receptæ aut contrario non abrogatæ.* Ac proinde *Bulla cœne* etiam in provinciis ubi promulgata non esset, quòd ad ea, quæ in ea pro immunitate Ecclesiastica reali & personali statuuntur, certissime obliget & vim habeat Reiffenst. *h. t. num. 290.*

CAPUT IV.

De immunitate purè personali Ecclesiasticorum.

Quæst. 1051. an & qualiter Ecclesiasticæ personæ immunes sint à tributis merè personalibus?

R Esp. sunt immunes à tributis merè personalibus sive quæ in capita juxta personarum numerum sine respectu ad bona imponuntur, & capitaciones dicuntur, ut constat ex utroque jure ac præsertim canonico, dum in variis ejus decretis supra allegatis fit specialis mentio de immunitate personarum Ecclesiasticarum à collectis & exactionibus; & quidem quibuscunque, tum etiam, quia nemo tributum personale imponere potest nisi personæ sibi subjectæ, quales non sunt clerici respectu Magistratum sæcularium, adeoque etiam ratione status sui, vi cujus toti dedicati sunt cultui divino & ministeriis spiritualibus, adeoque incapaces ad lucrandum quid temporale, unde tributum illud solvant, vel si tale quid acquirant, id non lucri temporalis habeat rationem, sed tanquam congrua sustentatio reputetur, jure naturali eos exemptos esse ab hujusmodi tributis personalibus, ait Pirh. *l. c.*

Quæst. 1052. à quibus oneribus seu actionibus exercendis per se vel alios nomine suo, immunes sint Ecclesiastici ratione status sui?

1. **R** Esp. tales sunt ferè sequentes, ad quas compelli à potestate sæculari non possunt Clerici. Primò actiones sordidæ ac viles, dedecentes Clericos & statum Ecclesiasticum v.g. purgandi stabulum, mundandi cloacam, arenam effodiendi, comprotandi cæmenta constituentibus ædificia, & similes, de quibus in *l. maximarum c. de excusat. muner.* R. P. *Leur. Jur. Can. Lib. III.*

ad quas non tantum obligari non possunt ab alio, sed etiam sponte eas in se suscipere non possunt, utpote valde indecora statui & dignitati eorum, unde etiam juxta jus civile *l. placet. c. de SS. Eccles. l. 2. c. de Episc. & Cler.* ab iis immunes sunt, quinimo & juxta *cit. l. 2. § c. generaliter. c. juxta sanctionem. § c. placet. 16. qu. 1.* eorum familiarum & domesticorum, etiam mancipia, ut Delb. *c. 3. du. 10. n. 1.*

2. Secundò immunes sunt ab angariis & perangariis juxta *c. non minus. § auth. item nulla c. de Episc. & Clericis. § L. presbyteros. c. eod.* idque sive Angariæ surantur pro obsequiis personalibus præstitis propriis sumptibus, & perangariæ pro servitiis exhibitis alienis sumptibus; sive surantur Angariæ pro operis purè personalibus sive impendiis rerum & perangariæ pro operis personæ impendiis ejusdem exhibitis, ita ut sint munus seu onus mixtum. ut cum Sylv. *v. immunitas 1. q. 4. num. 16.* & Abb. in *c. non minus n. 10.* & communi Pirh. *h. t. num. 82.* Tenentur tamen Clerici ad angarias & perangarias similesque præstationes quæ ab antiquo ratione fundi vel contractus censuales debentur. ut cum Laym. *l. c. c. 6. n. 6.* Pirh. *l. c.*

3. Tertio ab oneribus quibusdam personaliter exhibendis non quidem inhonestis, minus tamen convenientibus statui eorum & avocantibus ab officiis divinis. sic immunes sunt ab agendis vigiliis (intellige etiam per substitutum) item à custodia murorum civitatis juxta *c. reprehensibilis. 23. q. 8.* nisi tamen adsit magna necessitas defendendi civitatem ab hostibus infidelibus, vel etiam fidelibus, ita ut sine clericorum ope non possint commode custodiri per solos laicos ut juxta *c. pervenit. h. t. Abb. ibid. n. 6.* ad quod tamen, ut Idem,

D d d d

com-

compellendi non sunt clerici per Judteem sæcularem, sed per Ecclesiasticum, nempe Episcopum. sic quoque non tenentur Clerici ad manibus pugnandum in bello etiam ob imminentem necessitatem, quia clericatus reddit illos inhabiles ad pugnandum. Abb. in c. 2. b. t. n. 5. juxta c. ex multa. de voto. & c. reprehensibile. ubi etiam redditur ratio: quia militum Christi est Christo servire, militum verò sæculi sæculo.

4. Quartò immunes sunt à præbendo hospitium militibus, ut habetur in l. 2. c. de Episc. & Cler. neque in ædibus propriis unà cum Clericis, quia sic gravarentur directè eorum personæ, neque in ædibus eorum patrimonialibus locatis laico, quia sic gravarentur eorum bona. ut juxta S. cong. Concil. super jurisdictione, apud Barb. jur. Eccl. l. 1. c. 39. §. 5, n. 70. Delb. c. 3. du. 2. f. 2. n. 1. & 2. Pirh. h. t. n. 85. Sed neque possunt cogi ad hospitandum secum in una domo patres, fratres & nepotes. quia & sic gravarentur eorum personæ. ut Ricc. p. 3. resol. 28. n. 1. & 2. Carol. de grass. de effect. Cler. eff. 3. n. 122. Dian. p. 3. tr. 1. resol. 32. Delb. l. c. n. 3. & 4. Contra de Marinis resol. quotid. c. 167. n. 4. quatenus is distinguit, ita ut procedat de ecclesiasticis constitutis in ordinibus sacris non verò constitutis tantum in minoribus, cum tamen jura & DD. indistinctè loquantur item contra Molfes. in summ. l. 1. tr. 22. c. 22. n. 166. & squillante de privileg. c. 9. n. 4. idem sic limitantibus, ut non teneantur illos hospitari in domo propria unà secum; teneantur tamen ad hospitandum eos in alia domo contributà ad hoc pecunià. non tamen eximuntur ab hospitio caritativo; cum hoc non sit onus, sed opus pium, ad quod ii ratione status perfectioris (cum commodè vel saltem sine magno incommodo possint) magis tenentur. Delb. l. c. n. 13. cum gl. in c. 1. b. t. v. hospitium.

5. Quinò ut compelli nequeant ad suscipiendam & exercendam tutelam & curam minorum, quamvis Clerici, etiam in sacris constituti, si velint, possint suscipere tutelam proximorum consanguineorum, non tamen dativam seu testamentariam. Episcopi verò & monachi nullam tutelam suscipere possunt, juxta l. generaliter. juncta auth. seq. c. de Episc. & Cleric. nisi tamen sit tutela miserabilium personarum, hanc enim omnes clerici, etiam monachi suscipere possunt; cum sit opus pium. ita Sylv. v. immunitas. 1. q. 4. n. 16. & 17. Pirh. n. 83. juxta c. ult. Dist. 86. & gl. ibid. v. tutela.

Quæst. 1052. qualiter personæ Ecclesiasticæ immunes sint à tractione causarum ad forum seculare tam in criminalibus quam civilibus spectantium.

Resp. ad hoc fuscè responsum esse lib. 2. ad tit. de foro competente. ubi etiam in specie de cognitione clericorum.

Quæst. 1053. an, à quo & per qualem injectionem manuum violentarum in personam Ecclesiasticam violetur immunitas Ecclesiastica personalis.

Resp. ad primum vel potius suppono tanquam indubitatum violari vel maximè dictam immunitatem per ejusmodi injectionem factam clerico vel monacho.

2. Resp. ad secundum violari à quocunque fiat hæc injectio. dum can. si quis svadente. 17. q. 4. utpote latissimè interpretandus, quia primò & per se est in favorem status Ecclesiastici, per particulas:

si quis comprehendit omnes eujuscunque sint sexus, ætatis, status, ordinis, conditionis, dignitatis. Atque ita inter cæteros mulieres & pueros etiam impuberes, modò sufficiens judicium rationis habeant ad peccandum mortaliter. juxta c. mulieres. & c. pueris. de sent. excom. Item Prælatos Ecclesiasticos quin & ipsos Episcopos, utpote quos etiam, ut Navar. in man. c. 27. n. 161. Sylv. v. Episcopus §. fin. etiam non expressos comprehendit excommunicatio generaliter lata cit. can. comprehendit quoque inter violatores dictæ immunitatis personalis videntur, qui mandato, consilio, auxilio concurrunt ad injectionem violentam manuum seu percussorem, saltem dum auxilio, consilio suo auxerunt intensivè voluntatem & conatum ad percipiendum, quia sunt verè causa percussoris. An verò cooperantes consulendo, mandando, incurant excommunicationem cit. canonis vide apud Delb. cit. c. 2. du. 4. de hoc fuscè agentem §. 11. & pluribus sequentibus.

3. Resp. ad tertium: per violentam injectionem manuum, quæ vel maximè committitur violatio immunitatis Ecclesiasticæ personalis, & incurritur excommunicatio canonis si quis svadente, intelligitur quævis injuriosa & contumeliosa actio exterior seu corporalis, etsi in rigore non violenta (sive manu sive pugnis, brachiis, pedibus) immediatè circa personam Clerici vel mediatè nimirum circa res ei adherentes exercita. quales actiones sunt non tantum Clerici occisio, mutilatio, vulneratio, percussio sive manu aut calce, sive ense, ligno &c. facta, verum etiam violenta ejus detentio in publica vel privata custodia, aliove loco appositis solum custodibus, ne elabatur, conpersio illius aquâ, salivâ, sordibus. Item ereptio ex manibus illius rei cujuspiam, aut pilci ex capite, detractio vestis à corpore; dum in his omnibus adhibetur violentia. secus est canon adhibita v. g. clam aut per fraudem abscindendo marturium Clerico, auferendo ei dormienti vestes, nisi tamen id fiat directè ea intentione includendi in eo loco, ut egredi nequeat, pro ut in hoc casu non incurri excommunicationem canonis si quis svadente (adeoque, ut ex hoc ipso sequi videtur, nec violationem immunitatis Ecclesiasticæ personalis, utpote ob quam inductam ex motivo religionis, violatam statuitur dicta excommunicatio) docent Cajet. v. excommunicatio. c. 10. notab. 2. Molin. tr. 3. de just. d. 51. Suar. de cens. d. 22. f. 1. n. 31. & alii, quos citat & sequitur Delb. c. 2. du. 4. f. 6. num. 7. attestans de communi. Item tales actiones sunt injectio manuum in equum cui insidet Clericus, occidendo, vulnerando, percipiendo, aut per retentionem fræni sistendo equum. eò quòd licet tales & similes violentiæ clerico illatæ graves non sint respectivè ad ejus personam, graves tamen sint & mortaliter peccaminosæ comparativè ad honorem illius ita Delb. l. c. n. 12. remittens ad Sylv. v. excommunicatio. 6. n. 5. Nav. c. 27. n. 77. Avil. de cens. p. 2. c. 5. d. 3. n. 12. Extendenda quoque hæc de violatione illa immunitatis per violentam injectionem manuum ad ipsum Clericum percussum, dum consentit in sui percussorem (etsi fortè ob inde excommunicationem, saltem ipso facto, non incurrat, ut Nav.) modò ea ignominiosa sit ordini Clericali siquidem hæc immunitas personalis à percussione Clerici statuta, uti & cit. can. conditus non tam in favorem Clerici quàm Ordinis Clericalis unde licet percussio illa violenta non sit, si tamen ignominiosa sit statui Clericali, violatur adhuc

adhuc dicta immunitas. Quare idem dicendum de clerico ex ira vel passione, per militiam tamen & injuriosè occidente, vulnerante, percussente se ipsum, uti id de excommunicatione ab eo propterea incurrenda astruit Delb. *cit. c. 2. du. 4. f. 8. à n. 1.* Item extendenda sunt ad percussorem Clerici illam bene meriti, dum ea fit injusto modo. v. g. dum meritis mortem vel correctionem puniretur à iudice non suo, vel etiam à iudice quidem suo, sed modo indebito v. g. si clericus puniretur vel corrigeretur per laicum, monachus à Prælato suo per non monachum sed per purum laicum. ita quò ad excommunicationem incurrendam Delb. *lc. f. 9.*

4. Resp. quartò: nomine clerici in ordine ad violandam immunitatem dictam per injectionem illam incurrendamque excommunicationem hic intelliguntur omnes primà tonsurà initiati ab Episcopo. etiam si conjugati, modò cum una eademque virgine & habitum & tonsuram clericalem deferentes ut Henric. *l. 13. de excom. c. 49. n. 1. lit. K. Navar. l. c. n. 80.* Delb. *l. c. du. 4. f. 3. n. 4.* Arg. *c. unic. de cler. conjug. in 6.* Item etiam si sint excommunicati, suspensi irregulares, depositi verbaliter, quia tales adhuc gaudent privilegio canonis & fori. Angel. *v. degradatio n. 1. Sylv. v. eod. n. 8.* Navar. *l. c. n. 78.* Delb. *l. c. n. 9.* Item Clerici mortui, quia si quis clericum mortuum percussit, incurrit excommunicationem canonis. ut docent Felin. in *c. à nobis de sent. excom. n. 4.* Tolet. *l. 1. c. 31. n. 6.* Delb. *l. c. n. 9.* Item Clerici milites religiosi v. g. commendatarii Nav. *l. c. consil. conf. 13. de regular. Delb. n. 10.*

Ecce non intelliguntur clerici omni privilegio clericali nudati. quales sunt clerici bigami, qui sub eptis primà tonsurà aut etiam minoribus tantum ordinibus cum duabus vel cum una vidua vel ab alio corrupta contraxerunt & consummarunt matrimonium, non tamen ii, qui in factis ordinibus constituti contraxerunt invalidè, aut contractum consummaverunt; quia hi juxta *e. super. c. à nobis de bigamis.* verè bigami non sunt. Delb. *l. c. à n. 11.* Secundò Clerici conjugati, dum neque habitum neque tonsuram deferentes nulli Ecclesiæ deseruiunt ut Delb. *num. 15.* juxta *c. unicum. de cleric. conjug. & Trid. sess. 23. c. 6. de reform.* quod tamen aliqui limitant ad percussentem clericum quem sciebat clericum. Delb. *n. 19.* Tertiò qui se transferunt ad actum omnino contrarium clericatui v. g. ad militiam, ad mercaturam, saltem si tertiò moniti non desistant. *c. fin. de vita & honest. cler. Delb. à n. 17.* quò etiam spectant clerici conjugati vel habitum deferentes exercentes publicè officium lenonis aut cauponatui, si tertiò moniti ab Episcopo non desistant, vel postquam desisterunt idem officium reassumunt, secus si conjugati non sunt & habitum non dimiserunt, tunc enim adhuc gaudent privilegio canonis & fori, & juxta *Clem. 1. de vita & honest. cler.* ita Delb. *l. c. n. 48. & 49.* Item per annum exercentes artem ignominiosam ludionis, mimi, parasiti, nam & hi perdunt omnia privilegia clericalia, etiam intra annum, si tertiò moniti ab Episcopo non desistant, quod tamen aliqui restringunt ad clericos in minoribus constitutos, qui clericatui renunciare possunt. Vide Delb. *n. 50. & 51.* Ac denique etiam clerici in sacris constituti qui diuulso habitu

seditionibus latrociniiis & iniquis bellis se miscant, utpote qui etiam ante monitionem Episcopi amittant privilegium canonis Delb. *n. 39.* juxta *c. cum non ab homine & c. perpendimus.* de sent. excom. Quartò Clerici facti hæretici, Apostatae, schismatici, Delb. *n. 20.* remittens ad Cajet. *v. Excommunicatio. c. 10. vers. notab. septimò.* uti & degradari realiter, vel depositi verbaliter, si sint incorrigibiles, ut Avila *de censib. p. 2. c. 5. d. 3. du. 13.* atque ita recensitos percussentes non violare immunitatem clericalem personalem bene infertur, ex eo, quò percussi non gaudeant privilegio canonis.

5. Resp. denique: nomine monachorum ob quorum percussorem pœnas canonis incurrunt & violant immunitatem personalem eorum percussores, veniunt omnes religiosi professi alicujus religionis approbatæ, veniunt item conversi & conversæ et si professionem stricte talem in aliquibus religionibus non emittant Delb. *l. c. du. 4. sect. 4. n. 4.* juxta *c. ex tenore. de monialibus c. d. dubium de sent. excom. juncta gl. ibidem v. converso.* adeoque multò magis scholastici, coadjutores temporales & spirituales societatis utpote per vota emissa post novitium effecti veri & in rigore religiosi. Item veniunt Novitii, dum & hi in favorabilibus nomine religiosorum comprehenduntur, eorum gratias & privilegia participant, ita ut etiam ob delicta enormia à iudice seculari iudicari & puniri non debeant Nav. *l. 1. cons. 5. de for. compet.* Item tertiarii Ordinis S. Francisci & dominici. ut Nav. in *man. c. 27. n. 9.* contra Cajet. *v. excomm. c. 10. not. 7.* Quod tamen rectius distinguit, Delb. *l. c. n. 9.* ut certò procedat, si editis tribus votis substantialibus verè religiosi sint, viventes sub regula & jurisdictione Ordinis mendicantium, secus verò si religiosi proprie non sint, sed solum ad dictam religionem, cui vel bona sua obtulerunt, vel etiam cujus habitum & regulam susceperunt. procedat quoque de iis si collegialiter vivant, ut cum gl. in *cit. c. non dubium.* Mol. *tr. 3. d. 50. n. 4.* Avil. *lc. d. 2. du. 11.* Suar. *d. 22. f. 1. num. 20.* & alii apud Delb. *l. c.* secus tamen, si in privatis domibus habitant. ut Rodriq. *Tom. 2. qq. regul. 9. 5. a. 5.* ex Leone X. Item veniunt fratres laici et si verè religiosi non sint, qui mutato tamen habitu seculari, & assumpto regulari, quamvis distinctò à cæterorum religiosorum habitu, alicui religioni vel Ecclesiæ se dicant, emissò voto simplici, saltem continentia, & interdum etiam obedientia & paupertatis Nav. *l. 3. cons. 7. 12. & 81. de regul. Delb. l. c. n. 12. n. 14.* secus esse dicens de oblati, qui nulla facta habitus mutatione absque emissionem alicujus voti in domibus suis manent; et si bona sua religioni dicant. Item veniunt Eremitæ non tantum qui veri religiosi sunt, sed etiam qui edito voto, vel alia obligatione suscepta apud Prælatum Ecclesiasticum ordini vel Ecclesiæ alicui speciatim addicti sunt. secus est de iis qui solitariè viventes nullam talem obligationem habent, cum ii pro secularibus habeantur nullisque Ecclesiasticorum privilegiis gaudeant. ita cum Mol. *l. c. d. 58. num. 4.* Rodriq. *Tom. 22. qq. regul. 9. 63. a. 4.* Cönnick. Sylv. Nav. & aliis, Delb. *à n. 15.*